




P. INNOCENTII POLCARI

SOCIETATIS IESU

VNIVERSAE ELOQUENTIAE

INSTITUTIONES





NEAPOLI
TYPIS FRANCISCI ROSSI-ROMANO
MDCCCLVIII

VNIVERSAE ELOQUENTIAE INSTITUTIONES

P. INNOCENTII POLCARI

SOCIETATIS IESU

VNIVERSAE ELOQUENTIAE

INSTITUTIONES



NEAPOLI
TYPIS FRANCISCI ROSSI-ROMANO
MDCCCLVIII

ADOLESCENTIBUS

REI LITTERARIAE STUDIOSIS

PROOEMIUM

De Ratione Operis Vniversa

Saepe, A. mecum ipse dolui, quod cum Rhetoricae praeceptis tam diligentem daretis operam, nec rei gravitate dignam nec nostris usibus accommodam hauriebatis disciplinam. Quaerenti autem huius rei causas duo mihi in ipsis Rhetoricae institutionibus obiiciebantur: multa scilicet rerum inutilium copia, et necessariarum summa inopia. Eorum enim, qui eloquentiae praecepta gravius tradiderunt, alii veterum vestigia secuti nec ea, quae non amplius usui esse possunt, amputarunt, nec ea, quae tempora ipsa postulant, addiderunt: alii multa quidem vel de stilo vel de oratoria facultate vel de alia eloquentiae parte docuerunt, sed ad unam artem, quae et plena esset et adolescentium commodo opportunior, minime revocarunt. Itaque fit, ut adolescentes, postquam certas aliquas Rhetoricae institutiones versaverint, aut ipsi per se alia ab aliis auctoribus apta praecepta conquirere debeant, aut in magna rerum obscuritate consistere. Quare cum et mea erga vos voluntas et ipsa vitae ratio me excitarent, ut maiori vestrae utilitati magis magisque in dies studerem, libenter ad id animum admovi, ut optimas quasque de universa eloquentia praeceptiones perpetuis institutionibus brevi comprehenderem: ita tamen ut fere Ciceronis et Quintiliani, qui

communi et constanti doctiorum hominum iudicio duces et magistri in eloquentia semper habiti sunt, principia et praecepta evolverem.

Neque me deterruit rerum copia ac magnitudo: nam ego quidem hoc sentio, illud Horatii:

Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles 1)

plurimum ubique valere: propterea non solum numero pauciora sed brevibus etiam verbis expressa praecepta tradi oportere iamdudum animo imbibi. Humanum enim ingenium, in politioribus praesertim artibus, praeceptorum nec multitudine, nec verbosa explicatione obrui debet, ut diligentius ad scribendi studium et ad optimorum auctorum exempla se conferant ac aliquid etiam ex se audeant adolescentiores.

Atque ut rem altius paullo repetam, sic existimo, cum docendi munus suscipimus, summa quaedam artium vel scientiarum capita, eaque probatissima proponenda esse, ut liberali magistrorum dignitate, et maxima addiscentium utilitate praelegantur in scholis. Namque ita et magistri in artibus scientiisque inveniendis augendisque ingenium experientur suum, et adolescentes acuent studium et solertiam, sine quibus nihil praeclari conari possunt. Quae res facile intelligi potest ex tot priscae Europae Academiis, quae hac nostra docendi ratione maxime floruerunt: cum contra plenioribus institutionibus vulgatis, reiectaque veterum methodo, ingenia ad inertiam misere sunt prolapsa. Magistri enim, praesertim si parumper sint desidiosi, nihil in scholas afferunt, quod in libris non contineatur: discipuli vero negligenter illos audiunt, cum sciant nihil dici, quod uberius fortasse et clarius in excusis institutionibus non habeant. Operae pretium igitur facturus videor, si quae de universa eloquentia alii alibi prodiderunt, in unum maiori quo potero delectu colligam paucisque proponam.

1) Epist. ad Pis. v. 335 et seq.

Quamquam autem longiores fortasse nostrae etiam institutiones primo videri poterunt; prae rerum tamen multitudine breviores omnino sunt: nobis enim in animo est, ut, quoniam in quatuor partes opus nostrum tribuitur, prior et altera partitio primo anno, tertia et postrema secundo tradatur. Auctor vero sum tria certissima hinc commoda existere: in primis uno sane libello praecipua cuiusque eloquentiae praecepta haberi; tum Magistris maiorem inveniendi augendique res facultatem relinqui; tandem discipulos sic audire attentius, ut solertius percipiant, teneant fidelius. Quas etiam ob causas probatorum item scriptorum exempla saepius innuam potius, quam afferam; praesertim quia tum praeclaros quosque doctores sic fecisse video, tum praeceptorum cursum retardare, rerumque nexum nollem crebrioribus abrumpere exemplis; quae quidem commode petere licet ex libris, qui in adolescentium manibus perpetuo esse debent.

Atque haec, A. longiuscule praefari censui, ut quam postea adamabo brevitatem, excusetis, meque in gratiam vestri id fecisse arbitremini. Ego, si quid reprehendar, Lyrici sententia me consolabor: Καιρὸν εἰ φθέγξαιο, πολλῶν Πείρατα συντανύσαις Ἐν βραχεῖ, μείων ἕπεται Μῶμος ἀνθρώπων. ἀπό γὰρ κόρος αμβλύνει Αἰανὴς ταχείας ἀπάδις [1]. Vos autem compendiaria hac ad eloquentiam via, nec memoriae nec stilo parcentes unquam, pergite, ut facitis, et graeca latina ac vernacula exemplaria

Nocturna versate manu, versate diurna.

1) *Pind.* Pyth Od. I.

TOTIUS OPERIS IN PARTES DISTRIBUTIO

Etsi cuiusque eloquentiae officium generatim sit mentem instruere et voluntatem propius remotiusve ad aliquid excitare; eloquentiae tamen partes ex ipsis humani animi facultatibus, quarum singulas certae quaedam scriptiones proxime spectant, commode desumi possunt. Humanus enim animus intelligentia voluntate et memoria imprimis pollet: intelligentia res percipimus contemplamur disserimus: voluntate ad ea, quae bona novimus, ferimur, abhorremus a noxiis: memoria omnia illa, quae aut intelligentia cogitavimus aut sensibus expressimus, mente tenemus, et, cum tempus videtur, fideliter revocamus.

Eloquentiae partes ex hominis facultatibus.

Iam age, si universae eloquentiae genera persequimur, facile intelligimus, alia ad intelligentiam potissimum referri, quippe quae id primum sibi vindicant, ut mentem instruant; alia ad voluntatem, utpote quae ad voluntatis motionem maxime adhibentur; alia denique ad memoriam, quia res praeteritas repetunt, custodiunt, posteritati consignant. Tres igitur sunt universae eloquentiae partes, seu tria genera praecipua: Didascalice, Oratoria, et Historia.

Hinc tria eloquentiae genera.

Quamobrem cum propositum nobis sit universas bene dicendi institutiones brevibus aperire, officii nostri ratio postulat, ut omnium scriptionum, quae ad tria illa genera pertinent, naturam fines proprietates, legesque exponamus. Quoniam vero quae de elocutione et stilo in singulis dicenda essent, fere omnibus dicendi generibus plerumque sunt communia, ea, ne idem saepe repetamus, prima, quam de universis eloquentiae dotibus inscribimus, partitione complectimur: hanc naturali ordine excipit partitio de re didascalica: sequitur de re oratoria, in quam fere solam veteres omne studium contulerunt: extrema partitio de Historia erit.

Praemittendae eloquentiae dotes.

PARTITIO PRIMA

De universis Eloquentiae dotibus

Cuiusque orationis officium.

Cuiusque orationis proprium id est: animi cogitationes motusque cum aliis communicare, alicuius rei obtinendae gratia. Ut cogitationes motusque animi rite communicemus, necesse est ita accurate loqui, ut ea, quae dicimus, eadem, qua nos sentimus ratione intelligantur: ut vero id, quod nobis est propositum, obtineamus, oportet gratia quadam auditorum animos, per aurium delectationem, nobis conciliare, illosque apta rebus orationique virtute permovere. Haec summo studio quaerere debemus: nihil enim magis auditores offendit, dicentisque frustratur consilium, quam obscura aut rudis, inculta vel ad institutum inepta oratio.

Hinc variae eiusdem dotes.

Iam ut accurate loquamur, facit Perspicuitas; ut cum gratia, Elegantia et Ornatus; ut cum virtute, tum sententiarum vis, tum troporum et figurarum usus. Quare Tullius: ***Praecipitur primum, ut pure et latine loquamur; deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum dignitatem apte et quasi decore*** 1). Sed in his, quas numeravimus, eloquentiae dotibus, nedum in rebus ipsis, continetur dicendi forma seu stilus, qui rerum omnium orationisque varietate, proportione, ordine, unitate, imprimisque propria animorum motus tractandi ratione maxime constat.

Quinque capitibus definiuntur.

Universas igitur eloquentiae dotes sic definiemus, ut primo de perspicuitate; tum de elegantia; deinde de sententiarum vi; quarto de tropis et figuris; tandem de stilo dicamus.

CAPUT I.

DE PERSPICUITATE

Quid Perspicuitas?

Perspicuitas quae a Quintiliano prima et summa orationis virtus saepe appellatur, dici potest: Evidentia quaedam sermonis, qua res ita exponuntur, ut manifestae et clarae appareant. Eius necessitatem docet Aristoteles: Καὶ ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ, σαφῆ εἶναι. σημεῖον γὰρ ὅτι ὁ λόγος, ὃς ἂν μὴ δηλοῖ, οὐ

1) I. Orat. XXXII.

ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. *Definiatur elocutionis virtus, ut perspicua sit: oratio enim quae non declarat, non obibit munus suum.* 1) Quae virtus tum elucet, cum verba sunt propria, cum nihil deest, nihil redundat, cum ordo est rectus lucidusque. Perspicuitas igitur proprietate, praecisione, et ordine continetur. Nam si verborum proprietas deest, saepe nihil dicimus, saepe aliud, quam quod volumus dicimus: si abest praecisio, vel minus, quam cogitavimus, vel quid amplius significamus: defectu vero ordinis multa verborum rerumque oritur pertubatio. Quodlibet autem ex his vitiis non sermonis modo perspicuitatem extinguit, sed ipsam dicentis mentem plurimis obscurat cogitationum tenebris: oratio enim et cogitatio tam mutuo nexu tenentur, ut qui nescit recte loqui, nequeat recte cogitare; qui recte cogitat, idem recte loquatur. Licet vero *Nemo*, quod ait Tullius, *extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut qui adessent, intelligerent quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset;* 2) interdum tamen scriptores vel sola etiam perspicuitate plurimum laudantur. Quare illud Fabii teneamus: *Si neque pauciora, quam oportet, neque plura, neque inordinata aut indistincta dixerimus, erunt dilucida, et negligenter quoque audientibus aperta: quia id ipsum in consilio est habendum, non semper tam esse acrem iudicis intentionem, ut obscuritatem apud se ipse discutiat, et tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae suae lumen; sed multis eum frequenter cogitationibus avocari, nisi tam clara fuerint, quae dicemus, ut in animum eius oratio, ut sol in oculos, etiam si in eam non intendatur, incurrat: quare non ut intelligere possit sed ne omnino possit non intelligere curandum.* 3)

Unde nascitur?

Perspicuitatis necessitas.

Fabii sententia.

§ I.

De verborum Proprietate

Verborum proprietas, in qua maxime consistit perspicuitas, ut ait Fabius, non simpliciter accipitur. Primus enim intellectus est, sua cuiusque rei appellatio: qua tamen non semper utimur, cum vitanda sint obscena et sordida vel humilia. Secun-

Proprietas multiplex.

1) Rhet. lib. III. c. 2. — 2) III. Orat. XIV. — 3) Inst. lib. VIII. c. 2.

do modo dicitur proprium inter plura, quae sunt eiusdem nominis, id unde cetera ducta sunt: ut *vertex* ex contorta in se aqua, vel quicquid aliud similiter vertitur; ut pars summa capitis, et ex hoc quod est in montibus eminentissimum. Hinc tertio latius dicitur proprium, quod apta translatione ad aliud commode significandum communi usu est deductum. Translatio enim, in qua vel maximus est orationis ornatus, verba rebus non suis optime accommodat, ut proprie dicantur: haec autem proprietas non ad nomen, se ad vim significandi heic refertur.

Quae heic attenditur? Quare proprietas, qua de agimus, universe est in eorum verborum delectu, quae ex optimo et constantiori usu sive origine sive translatione tributa sunt iis rebus, quas significare volumus.

Comparatur lectione. Comparatur autem primum assidua lectione probatorum scriptorum, in quibus verba dicendique modi maxime sunt propria. Aliqua saltem in hoc Caesaris loco verba perpendite: *Has* (naves) *superioribus* REFECERAT *diebus, atque omnibus rebus* INSTRUXERAT. *Itaque suos* COHORTATUS, *quos* INTEGROS *superavissent ut* VICTOS *contemnerent,* PLENUS SPEI *bonae atque* ANIMI *adversus eos proficiscitur. Facile erat ex castris C. Trebonii, atque omnibus* SUPERIORIBUS *locis* PROSPICERE *in urbem, ut omnis iuventus, quae in oppido remanserat, omnesque* SUPERIORIS *aetatis, cum liberis atque uxoribus, ex publicis custodiis, aut ex muro ad coelum manus* TENDERENT, *aut templa Deorum immortalium* ADIRENT, *et ante* SIMULACRA PROIECTI *victoriam ab Diis* EXPOSCERENT [1] a).

Rerum cognitione et studio. Ad haec, valet potissimum mentis cogitationes distinguere, ut, rerum natura perspecta, illas suis nominibus promamus. Quam obscure varias aegritudinis partes significent aliqui, patet ex Tullio, qui cogitationum distinctione suis vocabulis eas circumscribit: *Est igitur aegritudo opinio recens mali praesentis... Subiiciuntur aegritudini... angor, luctus, moeror, aerumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio...* ANGOR *est agritudo premens:* LUCTUS *aegritudo ex eius, qui carus fuerit, interitu acerbo.* MOEROR *aegritudo*

1) Caes. B. C. L. II. n. 5.

a) Vedi sopra te *aperte* e *sparte* le fonti di grazia delle piaghe del Salvatore; le quali *docciano* a *sgorgo* per *dar bere* e saziare a *ribocco* i suoi amanti di vino dolce pieno di carità. *Medit. dell' Alb. della vita.*

flebilis : *Aerumna aegritudo laboriosa* : *Dolor aegritudo crucians* : *Lamentatio aegritudo cum eiulatu* : *Sollicitudo aegritudo cum cogitatione*: *Molestia aegritudo permanens*: *Afflictatio aegritudo cum vexatione corporis* : *Desperatio aegritudo sine ulla rerum expectatione meliorum* 1) a).

Spectanda significatio.

Quare ad proprie scribendum non sufficit vocabula ex optimis scriptoribus mutuari; sed necesse est etiam significationem, qua eadem verba illi usurparunt, optime cognoscere. Huius cognitionis negligentia fit, ut multi latine vel italice scribere facile sibi persuadeant, sed revera, ob effictam verborum significtionem, improprie scribant.

Etymologia.

Et verborum discrimen.

Demum ut proprie scribamus, iuvat verborum etymon et discrimen perspectum habere:nam verba saltem figurate vim etymi retinent, atque ea, qua alia ab aliis secernuntur, differentia res etiam significatas proprie efferunt. Exemplo sint *Tutus et Securus, Desidia et Inertia*. Tutus a *tueor*, qui tectus est, seu extra pericula corporis positus. Securus, quasi sine cura, et ad animum refertur : hinc mira illa Senecae sententia : *Tutum aliqua res in mala conscientia praestat,nulla securum.*2) Desidia a *desideo*, otiosus sum, nihil ago : Inertia ab *iners*,in quo non est ars : hinc in desidia voluntas, in inertia simul cum voluntate notatur inscitia:quare Tullius : *Si cessabis, lacessam ; ne tua ignavia* (*sine igne*) *etiam inertiam afferat* 3) b). Quibus

1) Cic. Tusc. Lib. IV. c. VII.

2) Epist. 105. — 3) XII. Fam. epist. 20.

a) Dividesi la superbia in vari rampolli: in *ambizione* la quale aspira immoderatamente ad onori; in *vanagloria* la qual oltre al convenevole si pasce di lode e d'estimazione; in *alterigia* che vuol trattarsi indebitamente sopra gli altri; e non meno in *iracondia* che ricerca non dovuta vendetta di chi le parve suo spregiatore; in *arroganza* che si attribuisce prerogative oltra il diritto; in *invidia* che per brama di maggioranza si cruccia del bene altrui. *Pallavic. Arte della* P. C. lib. 2. c. 13.

b) *Opera* è dal latino *Opera* con una parte de' suoi significati, aggiuntivi quelli affini di *res* e di *negotium*. *Lavoro* vien dal latino *labor*, ma coi significati di *opus*. *Fatica* deriva dal verbo latino *fatigare*, assumendo i significati di *labor*. *Travaglio* ha la radice in *trave*, ed è voce coniata ne' secoli barbari: ne' quali si chiamò *travallus* quel castello di quattro travi congiunto in quadro da altre travi traversali, entro il quale si mettono le bestie fastidiose ed intrattabili per

exemplis patet ex etymi studio res non solum proprie, sed gravius significari posse. Quod ipsum ad proprietatem pertinet: illud enim quoque dicitur proprie dictum, quo nihil inveniri potest significantius.

Fontes praecipui sermonis proprii.

Iam vero, ut auctores innuam, ex quibus proprietas petitur, Latini ante alios commendantur Terentius, Caesar, Tullius, Nepos: in italica vero oratione praestant, (ut de lingua loquar) scriptores seculi XIIII. Sed nolim ut iuvenes ad illorum studium se referant antequam legant praeclarum Iulii Perticari ad hanc rem opus [1]). Solent quidem, hac praesertim aetate, quae tota est in vocabulis et praeceptionibus ordiendis, multum laudari plurimi libri ad proprie scribendum confecti: ego paucos eosque selectos a) amabo: ut ex ipsis auctoribus, tanquam ex fonte, sermonis thesauros plenius hauriamus.

§ II.

De Praecisione

Praecisio in verbis.

Praecisio, quippe quae a *praecido* est, proprie quidquid est inutile, redundans, aut vitiosum in oratione amputat. Ea tum in verbis, tum in stilo desiderari potest. Atque in verbis quidem, cum illa vel non id, quod volumus, sed quidpiam simile exprimunt; vel non plene rem efferunt; vel plus quam in mente habemus, significant. Quos defectus vitabimus, si cuiusque linguae naturam, verborum proprietates, dicendique modos scite teneamus: nam qui haec negligunt, verba usurpant vaga, rationesque loquendi minus idoneas adhibent: ut vel dimidiam, vel supra quam velint, vel nihil omnino sententiam suam aperiant. Enimvero, si quis latine nesciat, quemlibet videndi actum communi verbo *videre* efferet; cum, ut cetera mittam, in re, quae longe est *prospicere* (procul aspicere); quae supra *suspicere*; quae circum, *circumspicere* usurpare deberet b).

Unde comparatur.

medicarle o ferrarle.... *Travaglio* non è *opera*, nè *lavoro*, nè fatica, ma affanno, agitazione. *G. Grassi* V. Saggio intorno ai Sinonimi.

1) « Degli scrittori del trecento e de' loro imitatori. »

a) *Facciolati, Forcellini, Nizolius, Tursellini, Popma, Manutius.*— Vocab. della Crusca, *Cinonio, Tomasseo, A.Cesari, B.Pnoti, L.Fornaciari.*

b) Saepe miscentur *Affronto, combattimento, battaglia, giornata:*

Videtis igitur ipsam praecisionem verborum proprietate maxime constare. Quod si non verba sed stilum ipsum spectamus, dupliciter adhuc defectus praecisionis facit, ne perspicue dicamus: in quibusdam enim est turba inanium verborum, quibus obscurant id quod dicere vellent, quasi audierint praeceptorem illum apud Livium, qui discipulos obscurare, quae dicerent, iubebat. *Alii*, inquit Fabius, *brevitatis aemuli necessaria quoque orationis subtrahunt verba, et velut satis sit scire ipsos, quae dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant* 1). Scio alios magniloquentiam adfectare, alios brevitatem: sed magniloquentia verborum gravitate et rerum magnitudine continetur: brevitas autem tunc est cum tantum verborum est, quantum in perspicua oratione est necesse. Praecisio in stilo.

Ac quoniam in hoc genere peccatur maxime, cum aliquid narratur, aut describitur; ex re erit narrationis et descriptionis naturam et proprietates praefinire. Narratio est rei gestae vel quasi gestae per temporum successionem expositio: Descriptio vero est oratio personas, loca, tempora, res quaslibet per certas cuiusque proprietates effingens, et uno veluti complexu praesentans sensibus aut phantasiae. Quare narratio proprie est earum rerum, quae cum a mente procedunt vel ad memoriam spectant, parum vel nihil sensibus et phantasiae sunt obnoxiae; ita ut simul, veluti in tabula, nequeant repraesentari: puta, senatus consilia, belli administratio, reipublicae regimen, longa maris navigatio, exercitus iter: non quidem prout ratione excogitantur aut disputantur, quod est scientiae, sed prout iam facta, temporum serie, exponuntur. Descriptio autem est earum rerum, quae sensibus et phantasia percipiuntur, et ut iam perceptae propriis artis coloribus pingi ac in conspectu poni possunt: ut populi tumultus, praelia, incendia, tempestas, urbs, regio, horti, et ea omnia, quae picturae, sculpturae vel architecturae materies esse solent. Nam quaecumque pingi sculpi aut aedificari possunt, describi etiam possunt. Narrationis et descriptionis natura.

quam male patet exemplis: «Dopo molti piuttosto *affronti* e *combattimenti*, che *battaglie* e *giornate*. » Varchi. « Durò molte ore questo *combattimento* maggiore assai di semplice *scaramuccia*, ma inferiore di molto al termine di *battaglia*. » Bentivoglio, Stor. di Fiandra. V. *G. Grassi*. Dizion. mil.

1) Lib. VIII. c. 2.

Earumdem discrimen.

Atque ex hoc clarius patet discrimen, quod narrationem inter et descriptionem intercedit : ut enim narratio, quae temporis successione fiunt vel fieri possunt , ita descriptio, quae in spatio sunt vel esse possunt proprie spectat : quae autem in spatio esse possunt pingi solent. Sed tamen quaedam et narrari et describi possunt, vel partim narrari, partim describi: ut pestis ut bellum, ut naufragium, ut sollemnis pompa, triumphus, alia. Multa praeterea, quae narrationis videntur propria , exquisitis artis lineamentis ad descriptionem accedunt. Quare poëtae, qui in descriptionibus maxime se diligunt, cum narrant, fere etiam describunt: nec mirum, cum longe plura, quam ipsi pictores coloribus exprimere possint, poëtae mirifice pingunt [1]).

Quando praecisa est narratio?

Iam vero praecisa est narratio cum et propria materia constat, et prout est vel oratoria vel historica vel poëtica, certis inducitur coloribus : tum nec ea praeterit, quae rei naturam explicant, nec ea consectatur, quae nihil aut parum ad institutum pertinent; sed leni quodam dicendi genere ea solum persequitur adiuncta, quae cum delectatione rem maxime probabilem efficiunt; aut certe verisimilem in poëtis a).

Quae praecisa descriptio?

Maior ars requiritur in descriptione: tum quia scriptoris ingenium describendo praesertim se prodit, tum quia facilius apparent vitia: nam fere res, quae describuntur, cum descriptione possunt ab aliis comparari. Communius autem descriptionis vitium est in hoc, quod non sit praecisa: alii enim generatim aliquid et universe attingunt, alii nimium singillatim et pueriliter adiuncta consectantur: at res singillatim quidem sunt describendae, sed ea tantum ex parte, qua sensus et magis percellantur, et non offendantur satietate. Ad haec, necessé est rerum naturam quam proxime imitari aut effingere ; ita ut verisimile et decorum nihil detrimenti capiant : quod ipsum ex praecisionis defectu solet proficisci b).

1) V. *G. Gherardini*— Elementi di Poesia, part. 1. c. 4.

a) V. Cic. lib. IV. in Ver. XXVIII XXIX XXX. Pro Mil. IX X. — Tit. Liv. lib. I. c. X. n. 25. — Caes. B. G. lib. VII. n. 4. 5. — Giambullari Ist. lib. II. « Gli Ungheri rompono l'esercito degli Italiani— Guicciardini lib. IV. Prigionia e morte di Lodovico Sforza— Iliad. X. v.314.—Aen. II. v. 57... IV. Georg. v.125.—Dante Inf, XXX.v.I.

b) V. Cic. lib. IV. in Ver. LII. LIII. — T. Liv. lib. IX. §. 2 — Caes. B. G. lib. III. §. 13.—Boccaccio, Macchiavelli, Manzoni: Descrizione

Nec vero μακρολογία a) solum et βραχυλογία nocet perspicuitati: officit etiam ἀμφιβολογία [1]) b); officiunt verba superflua apposita seu adiuncta redundantia vel minus rebus congrua; officit imprimis vocum, quae synonyma dicuntur, imprudens usurpatio. Sed caveas ne huc referas etiam expolitionem et synonymiam, quae sunt figurae, et ad ipsam perspicuitatem multum conferunt, si in loco adhibeantur; ut illa Tullii: *An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors aequo animo oppetenda? Quid, tum mortem ne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers consilii aut ingenii? nihil audieram nihil videram? nihil ipse legendo, quaerendoque cognoveram?* [2]) c).

Alii praecisionis defectus.

§ III.

De Ordine

Ordo est rerum aptis et accommodis locis dispositio; atque heic verba respicit, aut sententias. Verborum ordo proprie ad

Ordinis natura. Ordo verborum.

della pestilenza — Iliad. XVIII. v. 474. Aen. VIII. v. 226. — Dante, Purg. XXVIII. v. I.

1) V. Quint. L. VIII. c. 2. — 2) Pro Sextio XXI.

a) Lei nomò del nome di colei, che in se contenne la redenzione pel misero perdimento, che addivenne per l'ardito gusto della prima madre. Boccaccio, *Filocopo.*

b) Vincitor Alessandro l'ira vinse. *Petr.*
Si volse indietro a rimirar lo passo
Che non lasciò giammai persona viva. *Dante.*

c) E poichè la sua mano alla mia pose
Con lieto viso, ond'io mi confortai,
Mi mise dentro alle secrete cose.
Quivi sospiri, pianti, ed alti guai
Risonavan per l'aere senza stelle,
Perch'io al cominciar ne lagrimai.
Diverse lingue, orribili favelle,
Parole di dolore, accenti d'ira,
Voci alte e fioche, e suon di man con elle
Facevan un tumulto, il qual s'aggira
Sempre 'n quell'aria senza tempo tinta,
Come la rena, quando a turbo spira.
Dante Inf. III- v. 19.

2

perspicuitatem pertinet, ac tum aptus habetur; cum adverbia, praepositiones cum suis casibus, adiuncta, partesque omnes orationis ita collocantur, ut nunquam ambigamus quodnam verbum participium, aut substantivum nomen adficiant. Fabius narrat quemdam testamento mandasse, ut heres *statuam auream hastam tenentem* sibi faceret: ex quo orta lis est utrum tota statua, an hasta solum deberet esse aurea a).

Orationis contextus.

Multum etiam obscuritatis est in contextu et continuatione sermonis, si longam interiectionem seu παρενθέσιν, praeposteros pronominum usus, verborum mixturam vel inconsultam traiectionem, et implicatos circuitus non vitemus b). Nam in traiectione ipsa, sine qua saepe friget oratio, spectanda est cuiusque linguae natura et proprietas: [1]) multa enim, quae praeclara sunt apud latinos in italicis scriptoribus maxime sunt vitiosa. Qua de re Boccaccius, qui latinos nimium voluit imitari, merito ab iis, qui sapiunt, acriter vapulat c).

Ordo sententiarum.

Verum ne, dum perspicui esse volumus, vi et gratia destituamur, tum aptam verborum compositionem, de qua plurima Tullius et Fabius, tum etiam sententiarum seriem persequemur. Atque de sententiarum ordine hoc nunc brevi praecipi potest: ut ordo verborum, quantum linguae indoles patitur, ordini quo res oculis vel menti se offerre solent, fere respondeat. Huiusmodi est in Virgilio descriptio fraudolenti Sinonis:

1) V. Heinnec. *Fund.* St. P. I. c. I. — *Colombo,* Doti d'una colta fav., Lez. VI.

a) Passò di questa vita (morì) in Inghilterra. *Passavanti.*

E come che egli (Dante) d'avere questo libretto fatto *negli anni più maturi* si vergognasse. *Boccaccio, Vita di Dante.*

b) E perciò che tra le altre naturali cose quella che meno riceve consiglio, è amore, la cui narura è tale, che più tosto per se medesimo consumar si può, che per avvedimento tor via, m'è venuto nell'animo di narrarvi una novella d'una donna, la quale, mentre che ella cercò d'esser più savia, che a lei non s'apparteneva, e che non era, e ancora che non sostenova la cosa, in che studiava mostrare il senno suo, credendo dell'innamorato cuore trarre amore, il quale forse v'avevano messo le stelle, pervenne a cacciare ad un'ora amore e l'anima del corpo al figliuolo. *Boc.*

c) La lingua adoperata dal Boccaccio è per lo più ottima, e il suo stile per lo più pessimo. Baretti, *Frusta lett.* tom. II. n. 13. V. *Perticari,* Degli scrittori del Trec., lib. II. cap. 6.

Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit [1]). Virgilii Exemplum.

Tum admirabilis serpentium per mare ad litus accessus:

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta,
Horresco referens! immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubaeque
Sanguineae exuperant undas: pars cetera pontum
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo: iamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora. [2]) a).

Praeterea aptissime res collocantur, si alia aliam vi superet, Alius ordo. quemadmodum in illo Tullii loco: *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate* 3) b). Sed praestat interdum aut vocem ibi collocare, ubi alias minus apte

1) Aen. II. 67. — 2) Ibi 203. — 3) II. Phil. XXV.

a) La stanza quadra e spaziosa pare
Una devota e venerabil Chiesa
Che su colonne alabastrine e rare
Con bella architettura era sospesa:
Sorgea nel mezzo un bel locato altare,
Che avea dinanzi una lampada accesa,
E quella di splendente e chiaro foco
Rendea gran lume all'uno e all'altro loco.
Ariosto Orl. Fur. c. III. s. 7.
V. Dante Purg. III. v. 79.

b) E già venia su per le torbid'onde
Un fracasso di suon pien di spavento
Per cui tremavano amendue le sponde;
Non altrimenti fatto, che d'un vento
Impetuoso per gli avversi ardori,
Che *fier* la selva senza alcun rattento
Li rami *schianta abbatte,* e *porta fuori*:
Dinanzi polveroso va superbo,
E fa fuggir le fiere ed i pastori.
Dante Inf. IX.

posita videretur, ut: *Tantum vini in Hispiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in Populi Romani conspectu vomere* POSTRIDIE : [1]) a) aut rem praeponere, quae maiorem vim in animis habeat, ut: *Vos, Vos appello fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem effudistis ; vos in viri et in civis invicti appello periculo, centuriones,* VOSQUE *milites :* VOBIS *non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic iudicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? proiicietur?* [2]). Simile est illud Virgilii :

Me, Me: adsum qui feci : in me convertite ferrum
O Rutuli, mea fraus omnis : nihil iste nec ausus,
Nec potuit [3]) b)

Ordo in dissimilibus.

Ceterum felicissimus, ait Fabius, sermo est, cui et rectus ordo, et apta iunctura, et cum iis numerus opportune cadens contingit [4]). Quod si sententiarum varietate quis interdum movetur, cogitet in dispari etiam rerum natura optime servari ordinem, si omnia, prout melius nectuntur, proxime collocentur atque simul ad unum conspirent : ita enim intelligendum imprimis est illud Horatii : *Denique sit quodvis simplex dumtaxat et unum.*

Epilogus de Perspicuitate

Atque haec de ordine, prout perspicuitatem maxime respicit, satis dixisse videmur. Multa alia dicenda essent de ordine, prout in arte seu pulchritudine spectatur: sed alibi suis in locis tradentur. Iam totum hoc de perspicuitate caput Tullii verbis absolvemus: *Neque vero de illo altero* (de perspicuitate) *diutius commoremur, ut disputemus, quibus rebus assequi possumus, ut ea,*

1) II, Phil. ibid. — 2) Pro Milone XXXI. — 3) Aen. IX. v. 427. 4) Lib. IX. c. 4.

a) In che non ti accorgi che non il mio peccato, ma quello della fortuna *riprendi*, la quale assai sovente gli non degni ad alto leva, a basso lasciando i degnissimi. *Boccaccio.*

b) Vedi, Signor cortese
Di che lievi cagion che crudel guerra;
Ei *cor*, ch'indura e serra
Marte superbo e fero
Apri tu, Padre, e intenerisci e snoda.
Petr. P. IV. C. IV.

quae dicemus, intelligantur. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis, ac prope demonstrantibus ea quae significari ac declarari volemus, sine ambiguo verbo, aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine [1]).

CAPUT II.

DE ELEGANTIA

Qui decoram ac perpolitam orationem scribunt, id agunt, ut urbane, ut pure dicant, omniaque mira quadam varietate efficiant; ita tamen ut non luxum, sed delectum consectentur. Quare Elegantia urbanitate, puritate, et varietate, quae sunt pulchritudinis elementa, continetur, et in delectu maxime consistit. Qui delectus in hoc est, ut quaecumque sint vocabula, dicendi modi, locutionum usus, res et sententias, pro diversa earumdem natura, apprime exprimant. Quamvis igitur elegantia non respuat ornatum, qui ex splendidioribus etiam, cum singulis tum coniunctis, verbis, et largo troporum ac figurarum usu longe effloreseit; temperantiam tamen et maxime electionem semper adhibet. In quo est Elegantia? In quo est ornatus?

Verum elegantia et ornatus iisdem sane partibus constant, atque in hoc praesertim differunt, quod illa delectu et proprietate, alter copia et splendore potissimum gaudeat. Cum itaque de urbanitate, de puritate, et varietate dixerimus, tum non solum de elegantia fere omnia, sed plura etiam de ornatu dixisse arbitramur: cetera autem partim in priori capite sunt, partim in aliis mox tractantur [2]). Quid differunt?

§ I.

De Vrbanitate

Vrbanitas est dicendi ratio comis et decora, quae ingenio cultiorum hominum, qui in florentibus civitatibus vixerunt aut vi- Quid Vrbanitas?

1) III. Orat. XIII. — 2) V. Cic. III. Orat. XXV. *Pallav.* Stile, cap. 24 e segg.

vunt, est accommodata, ac praefert leporem munditiem et nitorem cum in verbis ipsis tum in voce et pronuntiatione. Sed in primis temperandum est ab omnibus abiectis plebeisque dicendi modis: quorum plurimos habet Plautus, nedum sales, quibus stulte delectati sunt veteres, si modo ego et vos, ut ait Horatius *Scimus inurbanum lepido seponere dicto* 1). Inurbane etiam turpia vitia publice exprobrantur: qua in re peccavit ipse Tullius interdum, maxime cum in Antonium inveheretur. At inurbanissimi sunt poetae et fabulatores illi turpiter faceti, qui ab instauratione studiorum ad haec usque tempora plurimi extiterunt: horum quisque dicere posset, quod de se merito scribebat Boccaccius: *Existimabunt legentes me spurgidum, lenonem, incestuosum senem, impurum hominem, turpiloquum* 2).

Qui vigeat?

Alia fugienda.

Verum non solum obscenos modos dicendi et foeda vel subrustica verba, quae apud homines liberaliter educatos nullum locum invenire possunt a); sed ea quoque omnia, quae personas deprimunt, vel auditu sunt molesta, fugiemus b). Quod si horum aliquid necesse sit significare, nec semper Apellem imitari possumus, qui imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret; tunc metaphoras certe aut circumlocutiones adhibebimus.

Discendi Idiotismi.

Magna vero urbanitatis pars est in idiotismis, quos vocant, nos autem proprietates dicemus: quae heic sunt quidam dicendi modi adeo proprii politioris illius linguae, qua quis loquitur, ut, qui illis utitur, natus in ea videatur. Harum proprietatum tanta est subtilitas, ut anus illa Atheniensis Theophrastum, qui se attice loqui maxime praefidebat, ex sermone hospitem de-

1) Epist. ad Pis. v. 273. — 2) Epist. ad Main Cavalc. V. Casa, *Galateo*.

a) È fuor di dubbio che qualsivoglia componimeno deve apparire in ogni parte con certo decoro, che inviti i buoni a promuoverne la lettura senza riserbo. La Religione, la verità, il costume non ne soffrano oltraggio, nè lecito sia di produr cosa in vista del mondo presente e futuro, che non oserebbe l'impudenza di fare in piccolo crocchio di bene educate persone. *Teod. Villa*, Lez. di Eloq. Decoro.

b) Questo è trattare il nome divino come se fosse uno straccio di lavandaia. Questi son quelli che ad ogni tratto hanno il nome di Cristo in bocca, come se fosse il nome di un uomo vile, di un bindolo, di un birbante. *Segn.* C. I. p. I. R. 10.

prehendit [1]). Iam vero hae sermonis proprietates, quamdam nobilitatem et decorem iam nactae, nobilem et decoram orationem efficiunt. Quare ut Graeci in Attica, et Latini in Romana; sic Itali in Etrusca lingua addiscenda maximum studium ponent: praesertim ut familiarem stilum acquirant, qui urbanitate praecipue continetur.

Nunc exemplo sint: *Sed cum illa pateant, in promptuque sint omnibus, dabis hanc veniam, ut...* « *Non sum, inquit, Scaevola, nescius, ista inter Graecos dici...In manu, in manibus, ad manum habere: De scripto dicere... Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest...* » *Oratio haec me miseram exanimavit metu..* » *Sinite exorator sim: eodem ut iure uti senem Liceat, quo iure sum usus adolescentior.* » Ter. a). Quo in genere eligendi etiam maxime sunt peculiares quorumdam nominum, verborum, et particularum usus, ut: *Adeo STUDIIS eorum inservisse*» Nep. STUDIO, hoc est data opera, consilio, de industria: » *In aes ALIENUM incidere* » *Considera, ne in ALIENISSIMUM tempus cadat adventus tuus. AGERE cuniculos ad aerarium: AGERE aetatem in litteris: AGUNTUR iniuriae sociorum AGITUR vis legum: Diserti deformitate AGENDI, multi infantes putati sunt: Intelligit secum ACTUM ESSE PESSIME: Res alias AGERE.* Cic. *Multus sermo AD multum diem: Haec iste AD insaniam concupierat: AD urbem cum esset, audivit: AD arbitrium et nutum... se fingunt.*» Cic. b). Horum exempla.

1) V. Cic. *Br.* 172.

a) Io sono acconcio di ciò fare — Stendendo il piè per lo letto, gli venne abbattuto a questo spago—Con lui s'acconciò per fante — qual vuoi tu meglio? morire, o servire? — Lo fece prendere a' suoi sgherri — La verità non è voluta credere; anzi è avuta in odio, e chi la dice. Per non esser trovato non tenea posta ferma. Dio dà vinto o perduto a cui vuole. A cui Dio vuol male gli toglie il senno — Come ti sei lasciato così aver paura! — Il cuor mi dà che la cosa riesce bene.

V. *A. Cesari* — Dissert. della lingua it al. — § X. XI.

b) Le quali parole per sì fatta maniera *nell'animo* del Re di Francia entrarono, che... Fattolo legare alla corda, parecchie tratte delle buone gli fece dare non *animo* di fargli confessare... Andare *all'animo... Apri* dunque *l'animo* alle mie parole... Ma io *l'animo* avendo solamente alle parole udite. » *Boc.* « *Dalla* su per la scala e giun-

Studium optimorum.

Sed huiusmodi verborum proprietates, quae urbanitate quadam quasi colorant, uti docet Tullius, orationem, non nisi longo optimorum scriptorum studio sentiuntur. Ad eas autem acquirendas valet plurimum cum diligens verborum delectus, tum certum quoddam aurium iudicium, tum praesertim diuturna recte scribendi et loquendi consuetudo. Si quae ergo sunt humanitatis studia, ad hanc scribendi dicendique consuetudinem comparandam sunt conferenda. Quo in exercitio illud Fabii prae oculis semper habebimus *Urbanitate quidem significari video sermonem prae se ferentem in verbis et sono et usu proprium quemdam gustum urbis, et sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem: denique, cui contraria sit rusticitas.* Ac paullo post : *Verum mihi etiam iocosa quaedam videntur posse non satis urbane referri. Nam meo quidem iudicio illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore gestuque possit deprehendi: ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Graecos atticismus ille redolens Athenarum proprium saporem* [1].

Stili exercitium.

Vrbanitas ex Fabio.

§ II.

De Puritate

Quid Puritas?

Pure et emendate dicendi rationem, puritatem appellamus: quam qui assequi volunt, volunt autem omnes, qui veterum scholasticorum barbariem, et Cesarottianae disciplinae deliramenta fugiunt, vitiosam partium orationis compositionem,quae soloecismus vocatur, omni studio vitabunt, ac nihil contra diligentiores grammaticae observationes audebunt; neque dicent: *Scribo cum calamo: Redeo agro: Quoque ego: Eo intus: Quid*

Quid Soloecismus?

ge *Sacchetti: Dare* a balia: — *Dare* a sacco — e a fiamma — Dare battaglia — *Dar* l'animo.

Questa è colei ch'è tanto posta in croce
Pur da color che le dovrian *dar* lode,
Dandole biasmo a torto e mala voce. *Inf. VII.*

Egli *in su una* (barchetta) coi pescatori , ed ella in *su un*'altra...» Comandò che ogni uomo fosse *in sul* ballare... Il che gli era si gran noia che ne fu quasi *in su* l'impazzare... *Boc.* V. *Cesari,* Le Grazie.

1) Lib. VI. c. 3.

huc agis? Eo ad Romam; et huiusmodi a). Ad haec necesse est ut fugiamus quam maxime barbarismum,seu rusticum,ut veteres appellant, sermonem: qui est dictio aut omnino barbara, aut latina quidem vel italica, sed vitiosa usu, scripto, aut pronuntiatione. Cavendum igitur est a verbis, constructionibus, et dicendi modis, qui sint alterius linguae, vel sine auctore probato, vel novi vel obsoleti, ut : *Affectuosus, rigorosus, gratitudo, protectio: Communicare alteri* pro *cum altero. Reconciliare cum aliquo* pro *alicui: Monialis, Canonizare, Crucifigere: Olli pro illi: Aquai: Operam abutitur suam* 1) b). Verum tria ultima exempla, et alia huiusmodi, quae in ipsis aureae linguae scriptoribus inveniuntur, non sunt continuo reprehendenda: auctorum enim tempore consuetudo, quae est certissima loquendi regula,ita ferebat: qua tamen nos non possumus semper uti. Quod iudicium de optimis quoque italicae linguae scriptoribus est faciendum. Quid Barbarismus?

Maior est difficultas in latinis Christianae Religionis dictionibus: qua in re Heineccii sententiam amplectemur; ut quae eleganiori stilo commode reddi possunt, ea commutemus: quae vero μυστηριώδες aliquid habent, integra teneamus. Quod ita intelligendum est, ut quidquid veterem superstitionem, sive in verbis sive in formulis sapiat, omnino respuamus: ne, dum latini esse volumus, ethnici videamur. Qua de re praeclare scripsit Morcellius in opere de stilo Inscriptionum 2). Res Christianae.

1) V. Cellar. Antibarbarus. — 2) Vol. II. Part. I. c. I. et passim.

a) Tutti i filosofi *i* più stimati — *Al* minuto, *al* galoppo — *Affine, Acciò* per ancora che, Affinchè, Acciocchè — *Il di che* per Di che— *Quivi* per *Quindi* — *La donde* per Laonde — *Equalmente* per Parimente, o similmente — Agostino *il Santo*. Bernardo Santo — *Il di* lui figliuolo, *la* di lei virtù, *la di* costui casa. V. G.Paria d. C. d. G.

b) Scoglio non *abbordabile* — Energizzato dall'insieme di tali oggetti — Talento pittorico—Sortire alla luce — All'infuori di qualche tratto (da qualche tratto in fuori) — Prendere in considerazione una cosa (farvi studio sopra, darsene pensiero) — Voi venite di farci (ci fate) un onore — Dettaglio (particolarità) Dettagliare— (particolarizzare) — Realizzare (mettere in essere, o ad effetto) — *Enorme* per grande — *Agire* per operare — Saramento per giuramento — Piuvico, aiutorio, sappiendo, gradora, borgora, fosseno. Cui per chi: Messero, Mai sì, Mal nò, Madiesl — V. *A. Cesari* Disser. sulla L. I. p. XI. — Le Grazie, P. III.— *G. Perticari* lib. II. c. III. e segg.

Verba Nova. Qui vero elegantia delectatur, is amet non solum usitata verba, sed germanos quoque dicendi modos, et accuratiores illius linguae, qua loquimur vel scribimus, constructiones. Quod si nova occurrunt inventa, quae probatis iam optimae linguae vocabulis exprimi nequeunt; licebit quidem verbis uti novis cum hac cautione ut si lingua sit mortua, uti habetur latina, περίφρασιν potius adhibeamus, aut si artis vel scientiae recens inventae res uno verbo sint exprimendae, graecam vocem, quod est facillimum, accommodemus; ad summum latino iam verbo, si ad hoc quod rarissime fiet cogit necessitas, affinem quamdam significationem tribuamus. Si vero lingua viva sit, uti plus licebit, sic maius adhuc in novis verbis inducendis erit iudicium: nam homines ut laborem fugiant, nimium iam proni sunt ad alterius linguae vacabula, quae in promptu habent, suscipienda, et ob studiorum defectum saepe propriam linguam paupertatis falso accusant: quare si hac in re facile et omnibus dabitur licentia, brevi, ut pluries accidit, tota lingua corrumpetur. Itaque in viventi maxime lingua teneatur illa in novis producendis verbis lex; ut id fiat cum, summa adhibita diligentia, verba ad rem necessario significandam omnino desint, nec nisi a viris linguae peritissimis atque ab optimo fonte ducantur vocabula. Huc enim prudenter revocandum quod de latina lingua ait Horatius:

Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget; dabiturque licentia sumpta pudenter,
Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadant, parce detorta. [1]).

Verba Obsoleta. Obsoleta etiam verba interdum revocare possumus, si id fiet necessitate, aut saltem varietatis gratia: sed parce, in loco, et multo delectu: quare haec quoque venia claris tantum scriptoribus tribuitur, quos imitari aliqua in re licet. Enimvero:

Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi [2]).

1) Epist. ad Pis. v. 48. — 2) Ibi v. 70.

Quod autem aliquis docuit italicam linguam gallicis verbis locupletandam esse, nae is parum sapiens fuit, qui non intellexit italicam linguam ab ipsis Gallis omnium perfectissimam existimari 1). Lingua italica.

Iam vero ex iis, quae de verborum puritate attigimus, patet eam fere totam ex diligenti grammaticae studio pendere. Quare qui ad politiores litteras appellit, eum in grammatica, qua magna elegantiae pars continetur, optima linguae fundamenta locasse oportet. Optima vero in grammatica fundamenta locasse dicitur, qui non solum praecepta omnia, sed eorum etiam rationes et iudicia apprime teneat, sciatque regulas ex continenti optimorum scriptorum studio ita adhibere, ut implicatas illas et absurdas dicendi formas, quibus grammatici ad exercitium, ut aiunt, in scholis abutuntur, neque scribendo neque loquendo usurpet. Grammaticae studium. Qualc esse debet?

§ III.

De Varietate

Vt repetitio fastidium, sic varietas delectationem tum etiam admirationem ex quadam novitate afferre solet. Varietas autem proprie est disparilitas,dissimilitudo, et variantia colorum: sed transfertur, ait Tullius, in multa disparia: varium poëma, varia oratio, varii mores, varia fortuna dici solet. Hinc in oratione varietas est apta disparium verborum,modorumque dicendi, temporum, troporum, et earum rerum omnium, quae ipsam orationem efficiunt, concordia. Quare ut hanc sermonis virtutem assequamur,magna primum requiritur copia vocabulorum, modorumque loquendi, quos diserti scriptores usurparunt: idque tum maxime cum translationibus splendidisque vocibus utimur: nam splendida et speciosa magis in oculos incurrunt, et si nimium repetantur, fastidium generant. Varietatis natura. Hauritur ex studio scriptorum.

Qui verba idem pene significantia adhibere noverit, is magnam varietatem orationi inducere potest; praesertim cum non presse de aliqua re dicimus, vel sententia ipsa gradus quosdam commode admittit: sed in hoc vitanda erunt vitia, quae superius de synonymis notavimus. Iuvant synonyma.

1) V. Audisio vol. 3. lez. 4.

Definitiones
Descriptiones

Vberiores varietatis fontes sunt breves definitiones, aut descriptiones ex effectibus, vel adiunctis, ut:

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono Divûm gratissima serpit. 1)
Postquam res Asiae. Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia 2) a).

Quod si descriptio proprie accipitur, tum non verba solum, sed ipsae res descriptae infinitam orationi vel carmini varietatem afferunt: infinitae enim res, eaedemque diversi generis, et variae describi possunt; ut personae,ut urbes, ut templa,ut loca quaelibet, virtutes, vitia ac innumerae universae naturae partes. Quae omnia propriis coloribus et luminibus expressa variam omnino orationem induent.

Variatio
Grammatica.

Mutantur etiam casus, mutantur verborum formae, ut: « In hoc *natura*, efficere quid possit, videtur experta. » *Nep.* « *In* hoc *naturae* quanta vis sit, perspectum est. » Incredibile est quanta me molestia *affecerit* « Nulla unquam voluptate tanta sum affectus, quanta *afficior* hac integritate » Cic. b) Grammatica haec variatio fusius, nec tamen inepte ab Heineccio tractatur 3).

Verum in ipsis periodis infinita est varietas; varia enim sunt incisa, varia membra, varius numerus, varia illa callida iunctu-

1) Aen. II. 268. — 2) Aen. III. I. — 3) Fund. St. P. I. c. I. n. 22 et seqq.

a) Lo giorno se n'andava e l'aere bruno
Toglieva gli animai che sono in terra
Dalle fatiche loro; ed io sol uno... *Inf. I. II.*
Era già l'ora, che volge il desio
A' naviganti, e intenerisce il core
Lo dì ch'àn detto a' dolci amici a Dio;
E che lo nuovo peregrin d'amore
Punge, se ode squilla di lontano,
Che paia il giorno pianger che si more. *Purg. VIII.*

b) Di che io rendo grazie e a te « *Fioretti* » Grazie somiglianti e maggiori rendute sarebbero. « *Boc.* Rendutegli quelle grazie, che potè maggiori. » E ringraziarono quanto meglio seppero « B. » Posciachè l'accoglienze oneste e liete Furo iterate tre e quattro volte: *Dan.* Egli non è... da far più strette accoglienze. *Boc.*

ra, quae verba nova reddit, ut ait Horatius. Ut autem haec omnia assequamur, praestat non omnes fere periodos verbo claudere: quod cum vitiosum interdum sit apud Latinos, tum maxime est reprehendendum in scriptoribus italicis. Quid enim adfectatum magis, quam putidius Boccaccii vitium consectari?

Ex figuris et tropis.

Denique variis coloribus distinguunt orationem figurae, et tennes illi tropi, quibus praeclarus quisque sermo mira quadam suavitate et luce renidet, ut: *Ardeo cupiditate: illa nos cupiditas incendit: Quo evadas, nescio: In portu navigo* a). Sed verborum, sententiarumque figurae non varios solum dicendi modos; verum diversos quoque animi motus suggerunt: quare ubi oratio patitur, omnino sunt adhibendae. Nolim tamen praecipuum varietatis fontem eas constituere. Nam qui nimium figuris indulgent, elegantiores dicendi modos, qui longe plurimi sunt, minus frequenter usurpant. Verum et figuris et propriis loquendi modis apte temperari debet oratio.


Horum usus.

Varietas et Aequalitas stili.

Cavendum porro est ne, dum varietatem orationis nimium studiose quaerimus, stili aequalitatem amittamus: quae inter perpetuam rerum similitudinem et apertam earumdem discordiam media incedit. Perpetua rerum similitudo fastidium parit, quo afficimur ab iis, qui sive scribant, sive loquantur, certos dicendi modos, certas quasdam sententias, certas figuras continuo usurpant. Ex discordia autem rerum oritur deformitas, qua foedantur eorum scripta, qui cum proprie pureque fere scribant, barbarum identidem aliquid, vel exaggeratum, turgidum, obscurum effundunt. Quo vitio peccant ii potissimum, quibus nulla religio est ex transalpinis nationibus verba, translationes, similitudines, imagines mutuari: quasi vero nos vel propriis verbis careremus, vel gelu etiam, frigore, nebulis, silvis, cryptis, aliisque illarum regionum cingeremur horroribus. At praetereamus iam de elegantia praecepta. *Omnis enim loquendi elegantia, quam-*

Qui in hoc peccant?

a) « E così più dichiara il dire con leggiera e consueta metafora: *lo punse con queste parole*, che senza metafora, gli cagionò dispiacer con queste parole... E chi attentamente disaminerà que' modi eleganti di favellare, che s'ammirano in Plauto, in Terenzio, in Catullo, e in tutti gli autori più tersi, gli troverà smaltati di queste sottili metafore adottate dall'uso de' più squisiti parlatori, senza il quale molte di esse sarebbono crude, e tutte avrebbon del buio. » — *Pallavic.* Stile, cap. XXII.



quam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poëtis. 1).

CAPUT III.

DE VI SENTENTIARUM

Sententia multiplex.

Sententia generatim est sensus animi, sive id quod mente concipimus: iudicium etiam dicunt, quod propositione effertur, ut: L. *Crassus magnificentissima aedilitate functus est* 2). Quod si iudicium vel orationis clausulas infert,ut: *Quare prius de facto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii culpam ullam reprehendatis.* 3) vel aliquid universe pronuntiatum de vita recte informanda, ut: *Nihil est tam populare, quam bonitas* 4) a) vel grave et ingeniosum aliquid promit, ut: *Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo* 5) b); tunc proprie sententia dicitur, et nomen ex eo ducit, quod similis sit consiliis vel decretis : nam et decretum iudicis sententia dicitur.

Sententiarum explicatio.

De sententia proprie dicta multa docuerunt Tullius et Fabius: nos, qui vim elocutionis persequimur, solum de gravi sententiarum explicatione generatim quaerere debemus. Sed quia nihil verba efficiunt, nisi in oratione subest sententia, veluti in corpore anima, de sententiis ipsis primum aliqua saltem delibabimus; deinde quoniam sententiarum expositio, quae in singulis propositionibus dotes orationis iam explicatas praeferre debet, magnam vim ex mutua earumdem collocatione in periodis, et ex harmonia in aptis numeris acquirit, secundo loco de periodo, tertio autem de numero dicemus.

Periodus et numerus.

1) Cic. III.— *Orat.*X.—2) II.Off.—3) Pro Lig.—4) Cic. pro Lig. 5) Ad Atr.VIII.7.

a) Meglio è aver l'odio de' rei, che loro compagnia. Dalle conversazioni si prendono i costumi; e siccome certe infermità, al toccamento del corpo, s'appiccano, così l'animo appicca i suoi mali a chi a lui s'appressa. *B da S. Conc.*

b) Rispose adunque io son frate Alberigo
Io son quel dalle frutte del mal orto
Che qui riprendo dattero per figo. *Inf- XXXIII.*

V. Pallavic. Stile, c. X. *P. Costa*, Eloc. Dei concetti.

§ I.

De Sententiis Generatim

Mentem instruere aut permovere studet oratio: ac mens quidem,quae sola veritate delectatur, veritate tantummodo instrui aut moveri potest. Tanta autem est veritatis in hominibus virtus, ut quotiescumque menti perspicue innotescat, nemo ei obsistat, nisi voluntatis pervicacia; quam etiam oratio veritate tandem frangere potest. Qui igitur vim adamat sententiarum, quibus oratio quod volumus efficiat, id primum omnium curabit, ut sententiae sint verae, ac nulla ex parte claudicent. Enimvero apud poëtas sententiae fere semper sunt verisimiles tantum; immo interdum etiam apud oratores, praesertim cum fictione, imagine, aut similitudine utuutur: sed tunc veritas est in ipsa rerum, quae adferuntur, convenientia.

Sententiae verae sint.

Sententiae verisimiles.

Veritati falsum, verisimili non verisimile opponitur: utrumque vero est cavendum , ut oratio vim habeat. Veritas desideratur non solum cum orator aut sententias non plene percipit, aut ea, quae non sunt, comminiscitur ; sed etiam cum nimis exaggerata, vel tumida, vel puerilia huiusmodi consectatur a). Hegesias, cum de Alexandri laudibus diceret, *Minime mirandum est*, inquit, *si Dianae templum tam gravi incendio arserit: quippe Dea in ipso Olympiae partu, quo Alexander editus est, obstetricandi laboribus et curis districta, ignem non valuit restinguere.* At contra, quanta cum dignitate Tullius! *Est, est profecto illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam quod vigeat et sentiat,et non inest in hoc tanto naturae tamque praeclaro motu: nisi forte idcirco esse non putant quia non apparet, nec cernitur: perinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus ac dicimus, videre aut plane qualis aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis, ea est igitur, quae saepe incredibiles huic urbi felicitates, atque opes*

Quando deest veritas?

Exempla.

a) Lodando (Timeo) adunque Alessandro Magno, così parla: » Quegli che l'Asia tutta soggiogò in più breve tempo di quel che Isocrate scrivesse la panegirica orazione della guerra contro i Persiani. Bel paragone del Macedone con un maestro di Rettorica! *Longino*, trad. del *Gori*.

attulit: quae illam perniciem exstinxit, ac sustulit: cui primum mentem iniecit, ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem si vicisset, habiturus esset immunitatem et licentiam sempiternam 1).

Unde est verisimile?

Nec vero admodum facile est verisimile assequi: multa enim sunt spectanda, ac in primis varia gentium consuetudo, tum varia personarum indoles, variae animorum adfectiones, varii cuiusque aetatis mores, cultus, Religio. Magna pars Horatii Epistolae ad Pisones hoc in genere versatur :

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit et varias inducere plumas..... v. 1...
Intererit multum, davusne loquatur an heros;
Maturus ne senex, an adhuc florente iuventa
Fervidus: an matrona potens an sedula nutrix:
Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli:
Colchus an Assyrius: Thebis nutritus an Argis. v. 114.
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores
Mobilibusque decor naturis dandus et annis... v. 156.

Verisimile est triplex.

Age, verisimile aliud est naturale, aliud praeter naturam, aliud supra naturam: quarum rerum singula genera propriis legibus temperantur. Nam, ut quid sit verisimile iuxta naturam, consuetas ipsius naturae leges, agendique modos praetergredi nequit: quod praeter naturam est, ferme ipsa lineamenta naturae habet, sed in natura non est, nec esse potest, nisi saltem maior quaedam vis naturae addatur; puta, ut colossus aliquis marmore vel aere sculptus vivam formam in rerum specie habeat. Tandem verisimile supra naturam propria cuiusque religionis opinione, mysteriisque gubernatur, et naturam ipsam, vel certe proprium et constantem naturae agendi modum omnino superare debet.

Sententiarum delectus.

Neque solum necesse est, ut verae aut verisimiles sint sententiae: est etiam delectus adhibendus, ut finem suum consequatur oratio. Eligemus autem ex omnibus sententias illas, quae veriores sint, quae solidiores, quae pulchriores etiam, cum opus est; atque maxime eas, quae magis sunt aptae, ac magis personis, rei, de qua loquimur, et fini, quem assequi volumus, ac-

1) Pro Mil. XXXI.

commodatae. Quare ne illae quidem sententiae sunt nimis afferendae, quae alias a nobis vel ab aliis fuerunt usurpatae: parum enim valent, et artis ac ingenii paupertatem produnt. Praeterea amputandae sunt sententiae superfluae, frigidae, pueriles, vel parvi momenti. Peccavit in hoc Cicero, cum pro Sexto Roscio Amerino multa attulit, quae castigari vel coerceri poterant: ut est praesertim eruditio de antiquis legibus, quae licet parricidii atrocitatem mirifice probet et auditores ita detinuerit ut mox adclamaverint; tamen ad causam non multum facit. Quare ipse Tullius: *Ipsa enim, inquit, illa pro Roscio iuvenilis redundantia multa habet attenuata, quaedam etiam paulo hilariora* [1]). Peccavit saepius Homerus, qui minutas quasque res in descriptionibus est prosecutus. Quae minuta dicendi ratio cum et fastidium parit et ad vilia aut inepta saepe descendit, tum finem retardat, qui brevioribus aptioribusque artibus est obtinendus. Temperandum quoque a sententiis, quae vel longius et a reconditis scientiis sunt petitae, vel ad homines, apud quos loquimur, non valde pertinent: nam in nostris animis vim habent ea, quae in praesentiarum malum vel bonum afferunt, magisque ad nos attinent, et pluris sunt momenti. Possent huc referri etiam sententiae humiles et plebeiae, vel quae sunt contra decorum: sed de his, cum de urbanitate dicebamus, satis attigimus.

Amputanda superflua.

Iam, quoniam de delectu rerum incidit sermo, praestat et alia in hoc genere persequi: natura enim artium liberalium, praesertim earum, quae imitatrices dicuntur, delectu potissimum perficitur. Suprema vero delectus lex est in decoro: sed ut in vita, sic in oratione, ait Tullius, nihil est difficilius, quam quid deceat videre. Nos illud dimetiemur ex utilitate cum honestate coniuncta, et ex delectatione: nam cuiusque scriptionis finis tandem est utilitas, ad quam assequendam ars utitur delectatione. Decorum spectatur cum in argumentorum, hoc est thematum, natura, tum in ratione eadem argumenta tractandi vel describendi. Argumenta genere ipso debent esse praeclara: quidquid ars vel scriptoris industria addiderit, nequit res humiles multum attollere; uti videre est in recentioribus quibusdam scriptoribus, qui quae sunt deformiora in rerum natura ut plurimum consectantur. Nos pulchriora et quae moribus ac humanitatis

Lex delectus est Decorum.

Unde metimur decorum.

In argumentis.

1) Cic. Orat. XXX.

culturae magis prosint, maxime adamabimus: in hoc enim artium finis situs est. Quare studebimus etiam ea invenire argumenta, quae tempori potissimum congruant.

Nec vero omnia omnibus ingeniis apta esse iudicabimus: nam quemadmodum, sive ad orationem sive ad carmen, et naturam afferemus et studium; sic quid nostro ingenio maxime conveniat, plurimum cogitabimus: siquidem non solum alii ad orationem vel historiam, alii ad philosophiam vel aliam disciplinam sunt idonei; verum in ipsa poësi alii ad aliud genus tractandum natura sunt comparati. Quamquam enim aliter interdum accidat, communiter tamen verissimum est illud Homeri: Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις [1]).

In tractatione. Postquam vero argumentum elegimus, aptiorem etiam idem tractandi rationem inveniemus. Quaedam enim prorsa, quaedam vorsa oratione melius tractantur: in prorsa praeterea, ut de poëseos varietate sileam, alia docendi, alia narrandi, alia movendi charactere efferuntur commodius.

§ II.

De Periodo

Vis et gratia Periodi. Quanta sit periodi vis atque gratia, ex eius natura intelligi potest. In hoc enim periodus est, ut praecipuam quamdam sententiam per plures alias vel subiectas vel coniunctas repraesentet; ita ut praecipua sententia non prodeat nuda et sola, sed munita et carroborata aliis, quae cum prima et inter sese devinctae uno temporis puncto menti se obiiciant, et collatas vires

Ex ipsa natura. in homine experiantur. Neque vero hoc Rhetorum artificium est, sed ipsa rerum naturae repraesentatio: nam mentis cogitationes, si plenae sunt in nobis, nec solae sunt nec arcto nexu non coniunctae. Quin numerus ipse periodi mirum illum, ex apto cogitationum nexu in animo vigentem, concentum exprimit; quo non solum aures, ut vulgo creditur, sed ipse animus delectatur.

Exemplis illustratur. Pleniorem igitur gratioremque animi sententiam effert periodus. Enim vero quod quis languide diceret. *Gaudeo mi Dolabella, me putari socium tuae laudis,* Tullius multa gravitate

1) Odis. XIV. v. 228.

et gratia explicat periodo : *Etsi contentus eram, mi Dolabella tua gloria; — satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam : — tamen non possum non confiteri cumulari me maximo gaudio, —quod vulgo hominum opinio socium me adscribit tuis laudibus.* 1) Virgilius autem, ut diceret , *Eversa Troia, varias petimus terras,* cecinit :

Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia;
Diversa exilia et diversas quaerere terras
Auguriis agimur divum. 2) a).

Sed qui facilius vult cognoscere vim periodi, accipiat quod sibi visum fuerit vehementer dulciter speciose dictum a Tullio vel Segnerio, et solvat ac turbet verba: repente, ut ait Quintilianus 3), aberit omnis vis iucunditas decor. Itaque etiam qui optime italica lingua scribere velit, multam curam in periodis exornandis collocabit, neque cum aliis ab aliena alterius linguae indole decipictur. 4). Fabii ratio.

Iam vero periodus, quae Aristoteli est Λέξις ἔχουσα ἀρχήν καὶ τελευτήν, κατ' αὐτήν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον 5), Tullio *Oratio in quodam quasi orbe inclusa procurrens, quoad persistat in singulis perfectisque sententiis* 6) definiri potest: Plenior sententiae expositio per varias propositiones et mutuo nexu et numero instructas; ita ut totam rem, partibus explicatam, iucundo tenore hauriamus unoque intucamur conspectu. Duo autem sunt in periodo partes: protasis, et apodosis. Sed partes Quid Periodus? Eius Partes.

1) IX. Fam. 14. — 2) Aen. III. 1... — 3) Lib. IX. c. 4.— 4) V. *Ranalli*, Amm. lib. I. c. 2.— 5) Rhet. III. — 6) III. Orat.

a) Nè a me può in alcun modo capir nell'animo, che a coloro, che si sentono così essere dagli altri uomini odiati ed abbominati , come i nocivi e venenosi animali si temono, e si schifano, possa pure un poco giovar delle loro ricchezze, nè della loro potenza. *Casa, Oraz.* a Carlo V.

Dolce color d'oriental zaffiro,
Che s'accoglieva nel sereno aspetto
Dell'aer puro infino al primo giro,
Agli occhi miei ricominciò diletto. *Purg. I.*

membris, membra rursus constant incisis. Πρότασις, *propositio*, est pars illa periodi, quae sensum suspendit, ut : *Ergo et mihi meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti*; Ἀπόδοσις, *redditio*, est pars altera, quae sensum complet, ut: *et his omnibus ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti* 1). Κῶλον, membrum, est propositio, suo verbo expresso aut tacito instructa, plena quidem in se sed imperfecta quoad totam periodum et suspensa : quare quod reliquum est periodi expectat. Κόμμα, incisum, est pars membri, quod saepe e pluribus commatis constat, ut: *Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur* 2).

Periodorum tria genera. Verborum circuitus, monet Tullius, nec brevior esse debet, quam aures expectant, nec longior, quam vires aut anima patiatur. Quare ex membrorum numero tres tantum existunt probabiliores periodi : Δίκωλος seu bimembris, ut: *Quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius, quam cognosci ab hominibus, Caesaris consiliorum esse socium, Antonii furoris inimicum?* 3) a). Τρίκωλος seu trimembris, ut; *Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur; tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis* b) 4). Τετράκωλος seu quadrimembris, ut ; *Nunc quia ille exercitus Hispaniae provinciae scriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit, ubi eum gerere senatus populusque Romanus voluit ; ego, ut consulem ducem adversus Annibalem ac Poe-*

1) Pro Marc.—2) Pro Quint. — 3) Phil. III. 7.— 4) Pro Arch. 7.

a) Già per tutto aveva il sole recato colla sua luce il nuovo giorno, e gli uccelli su per li verdi rami cantando piacevoli versi, ne davano agli orecchi testimonianza. *Boc.* Ma quantunque il danno delle calamità presenti fosse asprissimo e gravissimo sopra modo, nondimeno vie maggiore era la paura delle miserie avvenire. *Tolomei.*

b) Or ecco per qual rispetto principalmente vorrei la Vergine paragonare alla vite, cioè perchè ella non ha come gli altri santi un altezza determinata; ma con quella conformasi dell'appoggio che la sostiene. *Segn.* Pan. An n. 5. Fin al dì d'oggi quel corpo, morto vergine, si conserva sì incorrotto sì bello sì colorito, che chiunque con attenzione il considera, altro non gli dice mancare che la favella. *Segn.* Pan. S. Fr. Sav.

nos haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli [1] a).

Sed haec periodorum genera studio permiscemus, ne repetitio satietatem afferat: imo adamabimus etiam infinitam illam varietatem, quae ex ipsa membrorum diversitate efflorescit, si membra eodem, ut ita dicam, circino non semper metiemur. (Periodi variandae.) Quod si res augendae sunt et amplificandae, vel aliquid vehementius urgendum, tunc fas erit periodica uti oratione; quae nullo membrorum numero definitur, ut: *si quid est in me ingenii, Iudices, quod sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse; earum rerum omnium vel imprimis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet* [2]. Hac in re praeclarius est illud in maniliana: *Atque ut omnes intelligant* [3], et in Verrinis: *Nunc te Iuppiter* [4] b). (Oratio periodica.)

Ut compositam periodum scribamus, et expolitione distinctam, opus est ex praeclaris auctoribus eligere periodos, quae pulchriores visae fuerint, easque memoriae mandare ac saepe repetere: tum propriam aliquam sententiam ad optimorum exemplorum instar exponere, idque plurimo et vario exercitio conari, donec nos etiam probabiles fundimus periodos. Qua in re valet in primis plena rerum cognitio, qua sententias descriptione vel definitione, partibus, adiunctis, causis, effectibus, aliisque locis gravius efferamus. Adiumento praeterea erunt tironibus particulae quae se invicem excipiunt ac una comprehendunt sententiam. At in his cavendum ne certis quibusdam assuescamus vocibus, et eadem semper recinamus. (Qui probabiles periodi scribuntur?)

Vis autem periodi tota est in ipsa sententia et numero. De numero, qui assidua illustrium scriptorum lectione addisci debet, aliquid mox dicemus: ad vim etiam facit, cum aequalitas membrorum ex pari vel quasi pari syllabarum numero existens, (Unde periodus vim habebit?)

1) Livii. XXI.40. — 2) Pro Arch. 1. — 3) Pro Leg. Man. VIII.
4) In Ver. V. n. LXXII.

a) Se le sentenze del predicatore dessero tanto agli uomini di travaglio, quanto ne danno le sentenze del giudice; io so che più d'una appellerebbesi incostante da quella, che questa mattina egli udì dalla bocca mia. *Segn.* Pred. IV. n.12. Pal. Ap.

b) Essi son quei che son qui concorsi... *Segn.* P. XXXVIII. n. IX V. *Casa, Oraz.* a Carlo V.

Quae fugienda vitia.

tum oppositio, si membri unius verba verbis alterius opponuntur,vel relatione vel contrarietate vel utraque. Si aeqnalitas abest praestat extrema membra longiora esse. Enervant periodum verba superflua, membra redundantia, nimius particnlarum usus, vocabula,quae;ubi maiorem vim vel gratiam habent, non collocantur. Summum vero studium in periodis pangendis hoc erit, ut quoniam plures sunt sententiae, quae princeps est nec perturbetnr mutatis casibus, et maxime eluceat: qnare verba incisa et membra , quae illam possunt obscurare, omnino sunt amputanda, vel subinde alia periodo concludenda. Atque haec sunt propria periodi: cetera vero,quae ex elocutione ex figuris ex tropis ad periodum ornandam vel amplificandam petuntur, sunt communia.

Usus periodorum.

De usu tandem periodi sic praecipit Fabius [1]): Periodos locum habere potissimum in graviorum causarum exordiis, in amplificationibus, in epilogis: ita tamen ut ipsis identidem fusa immisceatur oratio, quo satietati auditorum occurratur. Ceterum sive incisa sive membra sive periodos quis loquendo usurpet, curare semper debet eam verborum collocationem, quae auribus iucundior, animis potior evadat. *Neque semper*, inquit Tullius, *utendum est perpetuitate et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est: quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda* [2]).

§. III.

De Numero

Numerus seu Harmonia.

Quod Tullius in oratione nnmerum, modum, verborum formam vocat, Aristoteles vero nunc μέλος, nunc ἁρμονίαν dicit, recentiores Harmoniam vulgo appellant. Harmonia autem recte collocatur in convenientia litterarum, syllabarum, et verborum, quae se invicem excipiunt ea lege, quae naturae rei sit apta, et melius obsequatur auribus. Neque solum in versu, in oratione ipsa quoddam harmoniae studium esse debet: *Eruditissimo enim cuique*, ait Fabius, *persuasum est valere eam quamplurimum non ad delectationem modo sed etiam ad motum quoque animorum. Primum quia nihil intrare potest in*

Eius in oratione necessitas.

1) Lib. IX. c. 4. — 2) III. Orat. 49.

affectum, quod in aure velut quodam vestibulo statim offendit: deinde quod natura ducimur ad modos. Neque enim aliter eveniret, ut illi quoque organorum soni, quamquam verba non exprimunt, in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem 1).

Duplex est harmonia, alia simplex, quae oratoribus et poëtis est communis: alia imitatrix, poëtarum maxime propria: illa tantum delectat sono aures; haec rerum sonos, aut humanos affectus imitatur. Prima ex vocalium consonarumque apto temperamento praecipue oritur: multae enim vocales *hiatum* producunt ut: *Ave Aelia alma:* nimiae consonae asperitatem, ut: *ars studiorum, Rex Xerxes:* at temperate adhibitae vocales dulcem, consonae robustam orationem efficiunt. Sed haec satis minuta, nec tamen omnino contemnenda: illud est potissimum, simplicem harmoniam consistere in gratiori vel graviori verborum collocatione. Quod quidem ita praestabimus, ut variemus imprimis extrema: nam, ait Cicero: *In oratione prima pauci cernunt, postrema plerique: quae quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudicio repudientur, aut aurium satietate* 2).

Harmonia simplex.

Qui paratur?

Multa harmoniae pars est in verborum traiectione seu inversa collocatione, ut: *Habet magnum dolorem, unde cum honore discesseris, eodem cum ignominia reverti.* Cic. *Fere quem quisque locum pugnando ceperat, eum amissa anima corpore tegebat.* Sall. *Sed ut unde est orsa, in eodem terminetur oratio mea, maximas tibi gratias agimus, C. Caesar, maiores etiam habemus* 3) a). Sed rectus etiam ordo saepe in ipsis latinis placet, ut: *Est igitur prudentis sustinere ut currum, sic impetum benevolentiae: quo utamur, quasi equis tentatis, sic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum* 4) b).

Verborum traiectio.

1) Lib. IX c. 3. V. Cic. III. Orat. 50 51. Orat. 52.— 2) III. Orat. 50. — 3) Pro Marc. Expende locos plerosque. — 4) Cic. de Amic.

a) Perchè da voi non pigliate espediente, che buono sia, e dagli amici vostri non volete nè aiuto, nè consiglio. *Firenz.* Antonio li mi guardò in Egitto, e tu li mi guarda in Siria. E queste parole dicendo piangeva sì teneramente che tutti gli altri che erano con lei ed esso Ilarione medesimo provocò a piagnere. *Vite dei PP. V. Pallavic.* Stile cap. 5. *Cesari.* Le Grazie P. 1.

b) Non può negarsi che gli amici mondani non siano liberalissimi in parole. Uditeli ragionare. Oh con quanta magnificenza di formole

Quae cavenda? Subtilis etiam quaedam diligentia adhibenda est, ne in oratione sit plurium monosyllaborum successio, eadem verborum terminatio, et similis syllabarum positio, vel integra carmina, ut: *Si quis, qui quid agam forte requirat, erit,* Ovid. *O fortunatam natam me consule Romam!* Cic. *Machina multa minax minitatur maxima muris.* Enn. *At mihi quidem veteres illi maius quiddam animo — Complexi, plus multo etiam vidisse videntur—Quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest.* Cic. [1] a).

Unde Harmonia imitatrix? Ad imitatricem harmoniam quod attinet, ea efficitur tum eorum verborum usu, quae rem adamussim exprimunt, ut *ululatus, hinnitus, boatus,* et cetera quae ad onomatopoeiam pertinent: tum apta quarundam vocalium ac vocum usurpatione[2] b) Singulae enim vocales, ut videre est ex interiectionibus, in certis quibusdam affectibus significandis proprie adhiberi solent: voces autem, ut animadvertit Bembius, aliae sunt solutae, aliae languidae, morbidae, mutae, abruptae, tardae, celeres, aliae atque aliae. Quare earum varia collocatione sonos motusque quoslibet imitari possumus: Hac in re celebrantur plurimum quae

Exempla. sequuntur exempla: *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes* [3]. *Nolite pati, iudices, aras Deorum immortalium, Vestaeque matris quotidianis Virginis lamentationibus de vestro iudicio commoveri* [4].

vi consacrano il loro servigio, vi offrono il loro avere, vi scongiuran de' vostri comandamenti! e in questo solo caso protestano... *Segn.* Pred. II. n. 2.

1) V. *Lagom. Golm.* n. 19. — 2) V. *P. Costa,* Eloc. Armonia— *G. Audisio* El. Sacr. Vol. III. lez. 7.— 3) Pro Marc.— 4) Pro Fonteio.

a) Poco è da un che fu di là vicino *D.*
Ch'io fui per ritornar più *volte volto D.*
Che diero fuor delle scannate gole
Sangue *invece* di *voce* e di parole. *Marini.*

Noi Padovani — generalmente — siamo allegrissimi — non solamente — per noi medesimi — per l'onor nostro — particolare — e per la pubblica — utilità. *Sp. Speroni. Oraz.* al Pr. di Ven.

b) I serpenti fischiàr, gracchiàro i corvi,
Le rane gracidàr, baiàro i cani,
Belarono i capretti, urlàro i lupi,
Ruggiron i leon, mugghiaro i tori. *Varchi.*

Armati tendunt : it clamor, et agmine facto,
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum [1]).
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum versantque tenaci forcipe massam [2]) a).

Sed plura non sequar : parum enim sapere videretur, qui harmoniam nectendis litteris, velut texerulis in opere vermiculato,

1) Aen. VII. — 2) IV. Georg. V. Invenc. Inst. Poet. lib. I. c. 10.

a) E fia dunque spediente a Gerusalemme che Cristo muoia! Oh folli consigli! oh frenetici consiglieri! Allora io voglio che torniate a parlarmi, quando, coperte tutte le vostre campagne d'arme e d'armati, vedrete le aquile romane far nido intorno alle vostre mura, od appena quivi posate aguzzargli artigli ed avventarsi alla preda: quando udirete alto rimbombo di tamburi e di trombe, orrendi fischi di frombole e di saette, confuse grida di feriti e di moribondi, allora io voglio che sappiate rispondermi s'è espediente. *Segn.* Pr. XXXIII. num. 1.

Già circondato avea la lieta schiera
Il folto bosco; e già con grave orrore
Del suo covil si destava ogni fiera:
Givan seguendo i bracchi il lungo odore:
Ogni varco da lacci e can chiuso era:
Di stormir, d'abbaiar cresce il romore:
Di fischi e bussi tutto il bosco suona:
Del rimbombar de' corni il ciel rintrona.

Con tal romor, qualor l'aer discorda,
Di Giove il foco d'alta nube piomba:
Con tal tumulto, onde la gente assorda,
Dall'alte cataratte il Nil rimbomba:
Con tal orror del Latin sangue ingorda
Sonò Megera la tartarea tromba.
Qual animal di stizza par si roda;
Qual serra al ventre la tremante coda. *Poliziano.*

Chiama gli abitator dell'ombre eterne
Il rauco suon della tartarea tromba:
Treman... *Tasso*, C. IV. S. 3.

Esce allor della selva un suon repente
Che par rimbombo di terren che treme;
E il mormorar... *Tasso*, C. XIII. S. 21.

assequi putaret: quid expectabimus a poëta vel oratore, qui nimis ab his crepundiis retardatur?

Partium Harmonia. Praecipuum scriptoris studium est in pulchra orationis vel poëmatis singularum partium cum totius compositione harmonia: ut in maxima etiam varietate omnia sint rebus et moribus et locis, naturae et personis congrua, omnia in unum belle conspirent. Qua in re curandum est ne, dum harmoniam quaerimus, in monotoniam incidamus. Hoc vitio laborant, qui non animadvertunt, harmoniam ex disparium concordia enasci, rerumque naturam varietatem exposcere; ita ut qui diversis animi motibus, varia sententiarum copia, aliis atque aliis sermonis coloribus orationem vel poëma apte congruenterque distinguit, nec semper in eadem gravitate et contentione persistit, is demum eloquendi pulchritudinem, artis decorum assequatur.

CAPUT IV.

DE TROPIS ET FIGURIS

Tropus. Si figura universe ita definitur, ut sit: ἐξαλλάξις λόγου ἐπί τὸ κρεῖττον, 1) *mutatio orationis in melius*, figurarum nomine tropi etiam intelliguntur. Verum, si pressius loquamur, ut idem Alexander ait, tropus immutatis a propria significatione verbis fit, ἀλλότριον ἀντί τοῦ ἰδίου ὄνομα ἔχει; figura vero propriam retinet rei significationem, τό ἴδιον ὄνομα τοῦ πράγματος σῶζει: praeterea Ο᾽ μὲν τρόπος περί ἓν ὄνομα γίνεται ἀρετὴ, τὸ δὲ σχῆμα περί πλείω ὀνόματος κόσμησις, *tropus est virtus in uno dumtaxat verbo, figura lumen et ornatus in pluribus.* Vix igitur communi genere tropi et figurae conveniunt. Iam tropus a Quintiliano dicitur: *Verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio* 2). Vocat autem verbi vel sermonis mutationem, quia tropi alii uno verbo fiunt, ut metaphora proprie dicta: alii pluribus, ut allegoria.

Figura Figura, ut idem Fabius ait: *Est conformatio quaedam sermonis, remota a communi et primum se offerente ratione* 3). Alia est verborum, sententiarum alia: rursus figura verborum aliae sunt grammaticae, aliae Rhetoricae.

Eorum praestantia. Tropi vero et figurae non ad ornatum modo et splendorem, ut vulgo putant, sed ad

1) Alex. Rhet. — 2) Lib. VIII. c. 6. — 3) Lib. IX. c. 1.

gratiam etiam, tum potissimum ad vim orationis faciunt. Quod cum ex iis, quae dicemus, compertum erit, tum apparet ex illis poëtarum et oratorum locis, quae maxime laudantur: loca enim illa, si studio repetemus, metaphoris et figuris, ex quibus gratiàm vimque mutuantur, referta videbimus [1]. Quare troporum et figurarum tractationem huc revocavimus, ut cum ad ornatum et elegantiam, tum praesertim ad vim sermonis, tropi figuraeque referantur.

§. I.

De Tropis

Cum primum linguae oriuntur, pauca, quae magis necessaria sunt, propria sortiuntur nomina: multa postea ex eo, quod simile est vel cognatum, prioribus verbis solent appellari; maxime si sensibus non sunt obnoxia, ut *anima, spiritus, intelligere, concipere, molle pectus, tenax memoria*. Praeterea, quoniam quae menti vel oculis obversantur, fere cum aliis rebus, quae nos valde percellunt, aliquo modo coniuncta intuemur, facile altera pro prioribus usurpamus; vel apposita et dotes, quae magis splendescunt, pro ipsa re nominamus, ut *caput* gentis pro gentis principe, *lumen* pro oculo vel die: princeps enim est in gente, quod caput in corpore, lumen vero et ad oculum refertur et diem gignit. Animi igitur vis ob rerum similitudinem vel cognationem, necessitate, vel gratiae et virtutis causa verba transfert: praeclare Tullius: ***Modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta et angustiis, post autem delectatio iucunditasque celebravit*** [2]. Quare tropi in populis, qui antiquioribus utuntur linguis, vel rerum imaginibus plus capiuntur, sunt frequentiores [3]: nam non solum linguam locupletant, sed et stilo dignitatem, et perspicuitatem orationi, et adfectibus motum adferunt [4].

Troporum origo.

Necessitas et Gratia.

Tropi verborum sunt praecipue: Metaphora proprie dicta, Synecdoche, et Metonymia; tropi autem rerum habentur Allegoria et Ironia. Metaphora proprie dicta est: Tropus, quo vox aliqua a propria significatione ad aliam transfertur ob similitudinem: brevior enim comparatio est, cum, ut dic am aliquem veluti

Metaphora.

1) V. *Pallav.* Stile — *Colombo* Doti di una colta fav. — 2) III. Orat. XXXVIII. — 3) V. Biblia. — 4) V. Cic. Orat. XXXIX.

Eius virtutes. tigrim irasci, tigrim eum appello. Huius tropi multae et praeclarae sunt virtutes: primum quadam dignitate sententias exponit, ut: *Id nisi hic in tuo regno* (in eo, quo maxime polles) *esses, non tulissem* [1]. *Nunc huius periculo fit: ego in portu navigo* [2] a). Tum res corpore carentes corporeis formis vestiens, fere sub oculos ponit: quare maiori vi res significat, et vehementius commovet; maxime cum ducitur ex iis, quae oculis cernuntur. Nam et *odor urbanitatis*, et *mollitudo humanitatis*, et *murmur maris*, et *dulcedo orationis* a ceteris sensibus ducta, sunt pulchra: illa vero, inquit Tullius, oculorum multo acriora, ut *fulgor armorum*, *splendor gloriae* b). Maxime vero rem ponunt sub oculos metaphorae, quae actum significant. *Λέγω δὴ πρὸ ὀμμάτον ταῦτα ποιεῖν, ὅσα ἐνεργοῦντα σημαίνει* c), ut:

Hasta sub exertam donec perlata papillam
Haesit, virgineumque alte bibit acta cruorem [3].

Parit insuper metaphora doctrinam: efficit enim ut ob similitudinem multa, quae erant ignota, noscamus. Tandem quodam urbanitatis velo eas res tegit, quae propriis nominibus significatae odiosae essent vel turpes [4].

1) Cic. I. Orat. X. — 2) Ter. And. III. I. 22. — 3) Aen. XI. 804.
4) V. Cic. Off. *Casa*, Galateo.

a) Se non che conscienza m'assicura
La buona compagnia che l'uom francheggia
Sotto l'usbergo del sentirsi pura. *Dante.*

b) *Odor* di santità, *durezza* di cuore, *ruggir* di venti, *Dolcezza* di parole, *splende* la gloria, *sfolgoreggiano* gli scudi.

Me dove lasci sconsolato e cieco
Poscia che il dolce ed amoroso e piano
Lume degli occhi miei non è più meco. *Petr,*

c) Ora diciamo, che quelle cose ci rappresentano innanzi agli occhi il fatto, che mostrano d'operar vivamente.. E in ogni cosa col dar vita e moto a quel che si dice, si dà vaghezza al parlare, come si vede in questi luoghi:

Torna a gran balzi rotolando al piano
Il sasso irreverente. E altrove
Volavan le saette: di volar desiose,
Di sangue sitibonde in terra fisse.
E bramosa di sangue il cor gli aperse.
Arist. R. lib. III. c. 11, *Caro.*

Sed et vitia sunt in metaphora, cum vel a rebus abiectis plebeisque ducitur, ut *persecuisti reipublicae vomicas, stercus curiae Glaucia*; vel rerum parum similium aut nimis exaggeratam comparationem exhibet, ut *tempestas comissationis, Charybdis bonorum, sermonum cymba inter loquelae scopulos*. Huiusmodi ut plurimum erant methaphorae scriptorum seculi XVII qnas nunc ridemus a). Qua in re mirum quantum peccant etiam nunc qui externis scriptis delectantur, praesertim si novis rebus student, et Romantini dicuntur: quos non pudet vel fucatis barbarorum mercibus Graeciae et Italiae divitias corrumpere. b) Insignia vitia:

Videndum autem quid mores quid sermo cuiusque gentis patiatur: ego nec illud Virgilii *classique immittit habenas* vernacule ad verbum reddam, neque omnes dicendi formas in Orientis populis reprehendam. Tum cavendum ne metaphorae densentur, praesertim dispares, ne ab una in aliam imprudenter transeamus, ut: *Ah miser Quanta laboras in Charybdi, Digne puer meliore flamma* [1]); ne nimium urgeamus similitudinem, ut fecit Grotius, qui cum puellam igni comparasset, intulit igne debuisse mori : ne tandem nimium longe petatur: debet enim, quod illustrandae rei gratia assumitur, non obscurum aut ignotum esse, sed omnino clarius eo, quod illuminandum est c).

De usu metaphorae sic Fabius: *Transfertur nomen aut verbum ex eo loco in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus aut quia necesse est, aut quia significantius, aut, ut dixi, quia* Usus ex Fabio.

1) Hor. Od. lib. 1. 27.

a) Se il crine è un Tago, e son due soli i lumi,
Non vide mai maggior prodigio il cielo,
Bagnar coi soli, e rasciugar coi fiumi (*Crini della Mad.*)
Son gli occhi vostri archibusetti a ruota
E le ciglia inarcate archi turcheschi.
O del banco del ciel zecchini ardenti. (*stelle*)

b) L'angelo del vero che sfolgora e galoppa ne' regni della morte e del mistero — Venti primavere la visitarono, come gruppi di angioletti, a recarle sul capo la corona della speranza — Cattedrali della natura (*foreste*). V. *Ranalli, Amm.* lib. I. c. 3. *G. Manno, De' Vizi de' Lett.*

c) Questi non ciberà terra nè peltro. *Dante.* Lo balestrò la fortuna in un santo tempio dal principe dei celestiali uccelli (*S.Michele*) nominato. *Boc.*

decentius: ubi nihil horum praestabit, quod transfertur, improprium erit [1].

Synecdoche. Synecdoche, quae ex totius et partis cognatione oritur, plus, aliquid vel minus, quam significare volumus, exprimit. Quare totum pro parte, genus pro specie, plurale pro singulari usurpare solet, et contra, ut: « Latrones *orbis*, postquam cuncta vastantibus defecere terrae, mare scrutantur » [2]. *Mortales* pro hominibus, *quadrupes* pro equo; *carina* vel *puppis* pro navi; *eurus* vel *notus* pro quolibet vento; *Romanus* praelio victor pro Romanis; *Omnes denique illi Maximi Marcelli Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur* [3] a).

Metonymia. Metonymia seu transnominatio non in similitudine, uti metaphora, sed in aliqua alia convenientia consistit, atque adhibet causam pro effectu, continens pro re contenta, materiem pro re, quae inde efficitur, signum pro re significata, possessorem vel auctorem pro re possessa aut inventa; et contra. *Donec virenti canities abest Morosa.* Hor. *Hausit Spumantem pateram et pleno se proluit auro.* Virg. Sic sceptrum pro regno, toga pro pace, Tullius pro eius scriptis; Ucalegon pro eius domo, Vulcanus pro igne, Ceres pro pane, et similia ponuntur b).

1) Lib. VIII. c. 6. — 2) Tacit. — 3) Cic. Pro Arch.

a) E quel calca la *bistonia* neve,
E quel che il *Nilo* e che l'*Oronte* beve- *Filicaia.*
L'avaro zappador l'*arme* riprende. *Petr.*
E le mamme allattar di Tigre *ircana. Tasso.*
Risposi lui con vergognosa *fronte. Dante.*
Crudo secolo poichè pieno sei
Di Tiesti di Tantali e di Atrei. *Ariosto.*
Ma se il latino e il greco
Parlan di me dopo la morte, è un vento. *Petr.*

b) E per la *mesta*
Selva saranno i nostri corpi appesi. *Dante.*
E di *bianca* paura il viso tinge.
S'Africa pianse, Italia non ne rise.
Popolo ignudo paventoso e lento,
Che *ferro* mai non strinse.
E i cor che indura e serra
Marte superbo e fero. *Petr.*
E come a messagger, che porta *olivo. Dante.*
V. *Monti*, Bassv. Cant. II.

Allegoria dici solet metaphorarum continuatio: est autem repraesentatio rei per aliam, quae priori sit similis; ut descriptio maris commoti pro republica seditiosa. In allegoria non solum servari debent omnes metaphorae leges, sed curandum est, ut ab initio ad finem egregie sibi constet translatio. *Neque tam fui timidus, ut, qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipublicae navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuae nubeculam, tum collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas, aliis impendentibus tempestatibus non cessi; sed his unum me pro omnium salute obtuli* 1) a). Quid Allegoria?

Pulcherrima et integra allegoria est ode Horatii: *O navis, referunt in mare te novi* 2) b). Sed interdum aliquid proprii intermiscetur, maioris perspicuitatis gratia, ut : *Equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus* CONCIONUM *semper putavi Miloni subeundas* 3) c). Hic tropus immensi et praeclari est usus : pleni sunt allegoriis auctorum libri, plenae sacrae litterae, plena sanctorum Patrum scripta. Immo in poëtis non solum apologi, parabolae, aenigmata, eclogae aut minora alia carmina, sed maiora etiam poëmata allegoriam habent, ut Aligherii Comoedia, et Torquati Hierusalem, ut auctor voluit. Una tandem est lex propria et potissima allegoriae; ut non solum res sed et omnia rerum adiuncta sint similia. Allegoria mixta. Eius usus.

Ironia, ait Salvinus, aliud dicit, aliud prorsus contrarium significat. Quare cum sit in contrarietate, differt ab allegoria, quae constat similitudine. Ironia vero intelligitur vel ex re ipsa vel Quid Ironia?

1) Cic. in Pis. IX.— 2) Lib. I. od. 14.— 3) Cic. Pro Mil.

a) Che parlo io degli uomini? Questa terra, Sacra Maestà, e questi liti parea, che avessono vaghezza e desiderio di farvisi all'incontro, ed il vostro travagliato e combattuto navilio soccorrere, e nei lor seni, e ne' lor porti abbracciarlo. *Casa* Oraz. a Carlo V.

b) Passa la nave mia colma d'obblio
Per aspro mare a mezza notte il verno ..*Petr.*

V. *Passavanti*, Specchio, Prol. *Audisio* Sac. Eloq. V. III. lez. 10.

c) Per correr miglior acqua alza le vele
Omai la navicella del mio ingegno
Che lascia dietro a se mar si crudele. *Purg. I.*

Batte a vol più sublime aura più pura
La farfalletta dell'ingegno mio
Lasciando la città della sozzura. *Monti* Bass.

ex adiunctis. *Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos cum P. Clodio conferri audemus. Tolerabilia fuerunt illa : Clodii mortem aequo animo ferre nemo potest: luget senatus, moeret equester ordo, tota civitas confecta senio est* 1) a). Turnus ad Drancem apud Virgilium:

Proinde tona eloquio , solitum tibi; meque timoris
Argue tu, Drance: tot quando stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque trophaeis
Insignis agros 2).

Quid Sarcasmus? Ironiae proximus est sarcasmus, qui est truculentum ironiae genus, seu amarulenta quaedam irrisio, ut Troiano Turnus :

En agros et quam bello, Troiane, petisti,
Hesperiam metire iacens. Haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic moenia condunt 3) b).

§ II.

De Figuris Verborum

Figurae verborum. Figura, est orationis habitus a recta et simplici consuetudine non sine dignitate recedens. Qui habitus, si mutatis verbis aut

1) Cic. Pro Mil.— 2) XI. 383.— 3) XII. 359.

a) Or su ditemi ora un poco alla buona, Signori miei, non vi pare una bella favola quella che abbiam raccontata questa mattina? Oh Padre, e che inaspettata... *Segn.* Pr. V. n. 9.

Fate pure le vostre allegrezze in questo dì funestissimo... *Segn.* Pred. XXXV. n. I.

Or superbite, e via col viso altiero
Figliuoli d'Eva e non chinate il volto
Sì che veggiate il vostro mal sentiero. *Purg XII.*

b) Godi Firenze, poichè sei sì grande
Che per mare e per terra batti l'ale
E per l'inferno il nome tuo si spande. *Inf. XXVI.*

Arg. No non potrai dalle mie mani o forte
Delle donne uccisor fuggir la morte.
Tanc. Vieni in disparte pur tu che omicida
Sei dei giganti solo e degli eroi:
L'uccisor delle femmine ti sfida. *Tasso* c. XIX. s. 3.

eorum locis, perit, figura est verborum. Itaque huiusmodi figura est in certo verborum usu, qui sermoni vim aut gratiam adiiciat : si utraque abest, nulla est figura. Iam vero cum aliquid vi exponere volumus, verba geminamus: primo enim rem indicamus, deinde adfirmamus ; idque vel augendi gratia, ut : *Occidi, occidi, non Sp. Melium, qui... sed eum qui...* 1) : vel miseraudi, ut : Geminatio varia.

Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit: 2)

vel dolendi, ut:

Occidit, occidit Spes omnis et fortuna nostri Nominis 3).

vel festinandi , ut:

Nunc nunc insurgite remis, Hectorei socii 4)

vel ostentandi, ut:

Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum 5)

vel indignandi ut :

« Vivis et vivis non ad deponendam sed ad confirmandam audaciam » 6) a). Haec geminatio miros alios habet modos ut: *O tempora! o mores! Senatus hoc intelligit, Consul videt: hic tamen vivit; vivit? imo vero in senatum venit* 7). Usus alii.

Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus 8)

1) Pro Mil. XXVII. — 2) Ecl. 2. — 3) Hor. IV. 4. — 4) Aen. V. 5) Ecl.4.—6) Cic. *in Catil.*—7) Cic. *in Catil.*—8) Aen.VII.759.

a) Non son, non son io quel che paio in viso. *Ar.*
Per me si va nella città dolente,
Per me si va nell'eterno dolore,
Per me si va tra la perduta gente. *Inf. III.*
Veramente siam noi polvere ed ombra;
Veramente la voglia è cieca e ingorda;
Veramente fallace è la speranza. *Petr.*

Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra:
Iuniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbrae [1])
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies [2]) a).

Repetitio. Quod si aliqua re valde percellimur, urgendi defigendique auditores gratia eisdem verbis orationis membra saepe ordimur: repetitionem dicunt et ad sententiarum figuras accedit, ut: *Nihil ne te nocturnum praesidium palatii, nihil urbis vigiliae, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?* [3])

Conversio. Conversio ob eamdem causam membra eisdem verbis claudit, ut: *Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit? Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus* [4]) b).

Gradatio. Gradatio seu κλίμαξ a minimo incipiens rem significantioribus usque verbis exponit, ut illius gravitatem per gradus quosdam capiamus. *Miserum est exturbari fortunis omnibus; miserius est iniuria. Acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius a propinquo. Calamitosum est bonis everti: calamitosius cum dedecore. Funestum est...* [5]). Haec figura, quae obvia est, apertam habet artem et magis adfectatam: quare debet esse rarior, ut ait Fabius c).

1) Ecl. X. — 2) Ov. *Fast.* II. — 3) Cic. *in Cat.*—4) *Pro Leg. Agr.* 5) *Pro Quint.* 31.

a) . . . . Noi siamo usciti fore
Del maggior corpo al ciel che è pura *luce*
Luce intellettual piena d'amore
Amor di vero ben pien di *letizia*
Letizia che trascende ogni dolzore. *Par. XXX.*
Arme arme freme forsennato e insieme
La gioventù superba *arme arme freme*. *Tasso.*

b) Non è il digiuno quello che fa venir la morte sì rapida... Non sono... *Segn.* Pr. I. n. 4.

c) In questo nome *Gesù* si apersero i cieli ed apparvero i suoi padiglioni: i servi divennero liberi, eredi gli estranei, e gli uomini Angeli. Che dico Angeli? Dio si fece uomo, e l'uomo divenne Dio. *S. Giov. Gris.* V. *Tasso* G. IX. 23.

Cohibet verba et sermonem abrumpit reticentia, vel irae causa, ut: *Quos ego.... sed motos praestat componere fluctus* Virg. vel desperationis, ut: *Donec Calchante ministro.... Sed quid ego.* Id: vel religionis et novae rei obiectae, ut: Reticentia

Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo. Iuven. a)

Cum dici, quanta res sit, non potest, per hyperbolem amplius dicimus: nam melius ultra, quam citra stat oratio, cum res ipsa, de qua loquimur, naturalem modum excedit. *O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! in coetu populi Romani negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal implevit!* 1) Hyperbole.

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas 2) b).

Sed omnis hyperbole ut videtur ultra fidem ita non sit ultra modum: plurima enim orirentur vitia, quae vituperamus in auctoribus seculi XVII ut illud: *Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine coelum, Sidera pro facibus, pro lacrimis maria.* Ipse Fabius iam notaverat hanc figuram frequentissime pervenisse ad risum: qui, ut ait idem, si captatus est, urbanitatis; sin aliter stultitiae nomen assequitur. Hyperboles vitia.

Saepe rem vel uno verbo declarare non est satis, vel illam varia ratione exponere praestat: tunc synonymiam adhibemus, quae est verborum idem pene significantium usurpatio, ut: *Quae cum ita sint, perge quo cepisti: egredere aliquando ex urbe. Patent portae: proficiscere* 3) c). Synonymia

1) II. *Phil.* — 2) Aen. VII. — 3) Cic. *in Catil.*

a) Che sì? che sì... volea più dir: ma intanto
Conobbe ch'eseguito era l'incanto. *Ger.* XIII. 10.

b) V. *Ariosto*, VII. 20. — XXXIII. 134. V. *Tasso* IX. 12 — XVI. 37.

c) O che singhiozzi dovrà dare allora egli per la vergogna di scorgersi colto in fallo! o che muggiti! o che fremiti!... *Segn.* Pr. V. n. 3.

Io vivo io spiro ancora? e gli odiosi
Rai miro ancor di questo infausto die? T. XII. 75.

Circumlocutio. Varietatis et explicationis gratia interdum utimur periphrasi seu circumlocutione, quae id quod uno verbo vel certe paucioribus dici potest, pluribus effert. Hac figura delectantur maxime poëtae. *Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra* 1). *Serus in coelum redeas, diuque Laetus intersis populo Quirini* 2) a).

Polysyntheton. Asyntheton. Polysyntheton et asyntheton sunt cum poëtae tum oratori communia. Primum est schema coniunctionibus abundans, quo praecipue fit ut gravior et grandior videatur oratio: *Teque tuisque similes, tibique pares et aspernor et aversor et execror* 3) b). Contra asyntheton coniunctiones et particulas omittit, ut incitatior et vehementior feratur sermo. *Haec studia litterarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur* 4) c).

Ceterae figurae verborum. Atque hae sunt praecipue verborum figurae. Ceterae, ut Antonomasia, Paronomasia, Traductio, Catachresis, Antiphrasis, Hyperbaton, Transitio, et quae sunt aliae, ab aliquibus nimium subtiliter enumeratae, petantur a grammatica vel a lexicis. Nobis sufficiat prudens illarum usus: nam sic vulgares sunt, ut, quemadmodum de aliis affirmat Quintilianus, fere ipsum figurae nomen amiserint.

§ III.

De Figuris sententiarum

Unde oriri debent? Sententiarum figurae sunt, quae non in verbis solum, sed in rebus ipsis quamdam gravitatem habent, ac ita positae sunt in

1) Aen.VI.—2) Hor.lib.I. 2.—3) Cic. *in Catil.*—4) Cic.*Pro Arch.*

a) Era il giorno che al sol si scoloraro
Per la pietà del suo fattore i rai. *Petr.*

c) Sapete pure che trattiamo dell'anima, non è vero? e di un'anima la quale è vostra, anzi è voi, e d'un'anima la quale è unica, e d'un'anima la quale è immortale, e d'un'anima la quale è irrecuperabile... *Segn.* Pr. XIX. n. 6.

d) E là accorrendo dove appariva più presente il pericolo, e dove più serrata la mischia, s'inoltra intrepido in mezzo alle spade, minaccia, prega, consiglia, sgrida, comanda. *Segn.* Pan. di S. Pietro di Par. n. 6.

Qui, diran, l'invitto Re Polono accampossi,
Là ruppe il vallo e qua le schiere aperse,
Vinse, abbattè, disperse. *Filic.*

sensu, ut quibuscumque verbis proferantur, eadem semper figurae vis maneat et dignitas. Haec orationis lumina [1]), si non a fucata arte, sed, ut par est, ab ipsa natura sunt, a vivida mentis cogitatione vel a vehementi animi motu proficiscuntur: quare aliae ad mentem, aliae ad affectum pertinent, ac propterea primae ad confirmandum valent, alterae ad movendum: quae est Fabii partitio figurarum.

Cum mens rerum specie acrius excitatur, facile mutuam plurium convenientiam videt, et similitudinem adhibet: quae est duarum rerum disparium in eo, in quo congruunt, comparatio; ut vel quod minus patet ex notiori illustretur, vel res corpore carens sensili vestiatur imagine: quod maxime facit non modo ad ornandum, sed ad assensum extorquendum. — *Nam ut tempestates saepe certo aliquo coeli signo commoventur, saepe improviso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur; sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas quo signo commota sit, saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur* [2]) a). Similitudo.

Ποῦ νῦν ἡ λαμπρὰ τῆς ὑπατείας περιβολή; ποῦ δὲ αἱ φαιδραὶ λαμπάδες; ποῦ δὲ οἱ κρότοι, καὶ οἱ χοροὶ καὶ . . . . . Νὺξ ἦν πάντα ἐκεῖνα καὶ ὄναρ, καὶ ἡμέρας γενομένης ἠφανίσθη. ἄνθη ἦν ἐαρινὰ καὶ παρελθόντος τοῦ ἔαρος ἅπαντα κατεμαράνθη. σκιὰ ἦν, καὶ παρέδραμε. καπνὸς ἦν, καὶ διελύθη. πομφόλυγες ἦσαν, καὶ διεῤῥάγησαν. ἀράχνη ἦν, καὶ διεσπάσθη (b). Verum similitudo tunc solum censetur figura, cum iis effertur coloribus, qui splendorem et ornatum addant orationi: quod in poëtis saepius accidit (c).

1) V. Cic. *Orat.* XL. — 2) Cic. *pro Mur.* V. Aen. XII. I.

a) Sì come noi veggiamo... *Casu* Oraz. a C. V.
Però se un agricoltore.... *Segn.* Pr. I. n. 9.

b) Dove è ito quel fulgido splendor del consolato? Dove gli illustri fasci? dove gli applausi...? Tutte quelle cose furono una notte, un sogno; e fatto giorno, disparvero: erano fiori di Aprile; e passata la primavera, marcirono tutti: erano ombra, e si dileguò; erano fumo, e si sciolse: erano bolle, e scoppiarono: erano tela di ragno, e si spezzò. *S. Giov. Gris.* Homil. per Eutropio.

c) E come quei che con lena affannata... *Inf. I.*
Quale i fioretti dal notturno gielo... *Inf. II.*
Qual pargoletta o damma o capriola... *Ar.* I. 34-35.

Hypothesis seu fictio. Similitudini gemina est fictio,qua quid fieri debuit vel potuit excogitate quaerimus:id enim contendimus, ut quod in re ficta vel aliena faceremus, in re nostra et vera, quae priori sit affinis, faciamus. *Si cum hoc domi faceremus, quod et fecimus, et, ut spero, non frustra fecimus, tu derepente irruisses, et clamare cepisses: C. Caesar, cave ignoscas, cave te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereatur; nonne omnem humanitatem exuisses? Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id a te in foro oppugnari?* 1) a).

Antithesis. Sed cum, res comparans, non convenientiam at oppositionem animus cernit, tunc solet uti antithesi, qua contrariis contraria opponuntur. Quod Tullio maxime fuit solemne et familiare: nam, cum opposita,si conferantur,mutuo se produnt, ex ea contentione fit, ut rei vel probandae veritas vel extollendae magnitudo magis magisque appareat. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc costantia, illinc furor...* 2) b).

Descriptio Interdum rem altius sentiens, in eadem immoratur mens, et illam augendi vel declarandi gratia exponit atque explicat. Descriptio tunc habetur, ut: *Alter o Dii boni! quam teter incedebat! quam terribili aspectu! unum aliquem tu ex barbatis illis exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicae diceres intueri. Vestitus asper nostra hac purpura plebeia ac pene fusca: capillo ita horrido,ut Capua, in qua ipse tum imaginis formandae causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. Nam quid ego de supercilio dicam? quod tum...* 3)

Hypotyposis. Quae descriptio si sit veluti sub oculos subiectio, ut ait Cicero, et rem gestam non indicat modo, sed ut sit gesta ita ostendit, ut cerni potius videatur quam audiri, Hypotyposis vocatur: valet autem non solum ad confirmandum, sed etiam ad affectus ciendos.*Ipse inflammatus scelere et furore, in forum ve-*

1) *Pro Lig.* V. Vid. *Pro Mil.* XXVIII. XXIX. — 2) II. *Cat.* XI. 3) *Pro Sextio* VIII.

a) E qui figuratevi trovarsi un principe potente... *Segn.*Pr.III.n.4.

b) E come volete voi che... *Segn.* Pr. VIII. n. 2.

Non frondi verdi, ma di color fosco;
Non rami schietti, ma nodosi e 'nvolti;
Non pomi v'eran, ma stecchi con tosco. *Inf. XIII.*

nit. Ardebant oculi : toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes,quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset: cum repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari.... [1] a). His in descriptionibus, quibus non solum praeterita sed etiam futura vel quae futura essent demonstramus, fere utimur tempore praesenti: quare aliqui nescio quam figuram commenti sunt, quam *visionem* appellant.

Ethopoeia quoque non est nisi descriptio : est enim quaedam expressio morum alicuius, quae fit cum eius actiones, studia, propensiones et agendi ratio oculis exhibentur : ut est Annibal apud Livium [2], Catilina ac Iugurtha apud Sallustium. Differt a prosopographia, qua alicuius vultum, os, lineamenta, incessum,cultum habitumque omnem describimus:qua in re legendi sunt Piso apud Tullium , Achaemenides apud Virgilium [3], et Imperatorum characteres apud Svetonium, qui prosopographias et ethopoeias simul descripsit b). Ethopoeia.

Descriptioni etiam cognata est progressio, qua ita rem a clarioribus usque adiunctis describimus, ut plenissima in luce collocetur. *Facinus est vinciri civem romanum; scelus verberari; prope parricidium necari: quid dicam in crucem tollere?* [4]. Progressio.

Si in re explicanda difficultatem praevidemus, hanc antevertimus praeoccupatione, qua quis dicere occupat simulque diluit quae ab adversario vel auditoribus obiici possunt. *Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectamur? quia suppeditat nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant* [5] c). Verum Praeoccupatio.

1) Act. II. in Ver. lib. V. LXVII. V. Aen VIII. 449. IX. 473.
2) XXI. I.—3) Aen. III.—4) Cic.V.*in Ver.* LXVI.—5) *Pro Arch.*

a) Arrivato pertanto...... *Segn.* XXVIII. n. 6.
E già avevano allegramente... *Segn.* XXXVII. n. 2.
Pensate in che fiere immagini dovette nel giorno seguente... *Tornielli*, Pred. XVII.
Così si combatteva e in dubbia lance... *G.* XX. 50, 51, 52.
V. Minos, *Inf. V.* Cerbero, *Inf. V.* Il conte Ugolino, *Inf. XXXIII.*

b) Alete è l'un che da principio indegno...*G.* II. 58.
Orrida maestà nel fero aspetto... *G.* IV. 7.
Più suso alquanto il passo a lor contende... G. XV. 50.
V. *Saggi* di morale, e di eloquenza ital. *Caratteri Storici, Morali.*

c) Io so che voi allevati... *Segn.* Pr. IX. n. 12.
Odo alcuni di voi... *Segn.* Pr. XXIII. n. 11.

Concessio. interdum non refellimus sed utimur concessione, qua quidpiam licet ab aequitate alienum, elargimur, ut reliqua facilius obtineamus. Concessio autem differt a confessione, qua aliquid fatemur, ac postea excusamus. ***Esto: causam proferre non potes...*** 1) a).

Enumeratio. Quod si non modo nulla obiicitur menti difficultas, sed multa etiam, quae pro nobis afferri possunt, obversantur; tunc usurpamus enumerationem, qua plura eiusdem rei membra, adiuncta, effecta, vel alia quaepiam recensemus. Sed tamen in enumerando saepe dissimulamus praeteritione, qua fingimus aliquid omittere, quod reapse dicimus. ***Non dico hoc loco, maiores nostros semper in pace consuetudini...*** 2) b)

Praeteritio.

Sermocinatio. Tandem cum mens aliorum sermonem referre debet, saepe sic rem apprehendit, ut loquentes personas inducat sermocinatione seu dialogismo: qui est sermo, quem quis habet vel habere fingitur. ***Cum ab amicis rogaretur Diogenes, ubi vellet humari, Proiicite me, inquit, inhumatum. Tum amici, volucribus ne et feris! Minime vero, inquit: sed bacillum prope me ponite, quo abigam. Qui poteris? illi: non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?*** 3) c).

Quae ab animi motibus dicuntur oriri figurae, vehementiorem motionem requirunt, quam et mentis excitatio praecedere debet: quis enim affectus ciere putat sine viva mentis agitatione?

Interrogatio. Nam ex opinione boni vel mali semper commovemur. Itaque cum vel rei gravitate vel animi aestu percellimur, interrogamus: non tam ad rem dubiam quaerendam, quam ad urgendum, et affectum exprimendum. Non raro interrogationi adiungitur

Subiectio. responsio, et subiectio vocatur. ***Quid tam novum, quam adolescentulum privatum exercitum difficili Reipublicae tempore conficere? confecit: huic praeesse? praefuit: rem optime ductu suo genere? gessit. Quid tam praeter consuetudinem...?*** 4) d).

Exclamatio. In magna vel admiratione, vel indignatione, laetitia aut do-

1) *Pro Sext. Ros.* XXVII.—2) *Pro Leg. Man.*—3) I. Tusc. V.
4) *Pro L. Man.*

a) Ma su fingiamo che... *Seg.* Pr. II. n. 5.

b) Io non voglio ora favellar... *Segn.* Causa degli Ord. Reg. n. 2.
Ciò che sofferto abbiam d'aspro e d'indegno... *G.* VIII. 64. 65.

c) Or su ditemi ora un poco... *Segn.* Pr. V. n. 9.
E chi sei, disse, tu, che sì gran fasto... *G.* XV. 50. 51.

d) E che vi spaventa uditori... *Segn.* Pr. XXVIII. n. 6.

lore saepe exclamamus. Exclamatio est vocis elatio seu contentio, qua interiectione vel expressa vel tacita et animi affectum promimus et rei significamus magnitudinem: *O miserum et infelicem diem illum! o volucrem fortunam! o caecam cupiditatem! o praeposteram gratulationem! Quam cito...* [1]. Interdum exclamatio non sine gravi aliqua sententia, post insignem aliquam rem narratam aut probatam, fieri solet: quare dicitur epiphonema a). Epiphonema.

Praeclara etiam est exclamatio cum correctione, qua sententiam aut vocem a nobis prolatam retractamus ac veluti corrigimus, quia melius aliquid mens et affectus suggerit. *O stultitia! stultitiamne dicam an impudentiam singularem!* [2] *Filium unicum adolescentulum Habeo. Ah! quid dixi habere me? Immo habui, Chreme: Nunc habeam, nec ne, incertum est* [3] b). Correctio.

Tota ab affectibus est deprecatio et obsecratio, quae, ut nomen indicat, fit cum alicuius sive Dei sive hominis opem imploramus: *Quamobrem hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem et constantiam et clementiam tuam libera...* [4] c). Ut tenerrimi affectus obsecratio, sic dementis fere doloris est imprecatio, qua vehementi motu abrepti malum precamur aliis vel nobismetipsis. *Dii te perdant fugitive. Ita non modo...* [5] d). Deprecatio. Imprecatio.

At figurae, quae tum fervidiori mentis aestu tum vehementioribus animorum concitationibus fiunt, sunt Prosopopoeia et Apostrophe, quae mirum in modum delectant, movent, abripiunt animos. Prosopopoeia, seu fictio personae, est schema, quo personae mortuae vel absenti, aut etiam rei sensu carenti sermonem tribuimus: ut cum inducimus loquentem Urbem, Provinciam, Angelum, Beatum, parietes, sepulcra, alia atque alia. *Quae* Prosopopoeia

1) *Pro Sylla*—2) *Pro Caelio.*—3) *Terent.*—4) *Pro Deiot.*—5) Ib.

a) Ah cristiani! ed è... *Segn.* Pr. VII. n. 4.
Ed or dalle spelonche, ove lontano... *Tasso.* II. 2.

b) E se quei mostri... *Segn.* Pr. XVII. n. 2.
Or come vedi vo di te piangendo;
Di te piangendo no ma de' miei danni. *Petr.* S. 241.

c) Però a voi tocca, amantissimo... *Segn.* Pr. XXXVIII. n. 9.
Per questi piedi, onde i superbi e gli empi...*Tasso* IV. 62.

d) Pera il miserabile, pera... *Segn.* Pr. III. n. 11.
Ahi Pisa, Vituperio delle genti... *Inf. XXXIII.*

(patria) *tecum, Catilina, sic agit et quodammodo tacita loquitur: Nullum iam tot annos...* [1]). Haec figura est maxime poëtica: quare ipsa fiunt integra carmina a).

Iam gelidas Caesar cursu superaverat Alpes... [2]).
Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum... [3]).

Apostrophe. Apostrophe est schema, quo sermonem ad aliam personam vel quasi personam convertimus: fit enim ad vivos homines, ad superos, ad mortuos, ad belluas interdum et ad res inanimes. *Vos, vos appello fortissimi viri, qui...* [4]) b).

Dubitatio. Sustentatio. Communicatio. Sunt figurae quae ad conciliandum praesertim valent; ut Dubitatio: *Quid primum querar...* [5]). Sustentatio : *Ego itaque, pacis ut ita dicam...* [6]). Communicatio : *Nunc ego, iudices, iam vos consulo...* [7]) c).

§ IV.

De Troporum et Figurarum Usu

Quando adhibendae figurae? *Est quasi luminibus,* ait Tullius, *distinguenda et frequentanda omnis oratio, sententiarum atque verborum* [8]). Sed Fa-

1) I. *Pat.* VII.—2) Luc. *Ph.*1.83.—3) Prop. lib.IV.El. 9.—4) *Pro Mil.* XXVII. V. ib. XXXI. II. *Act. in Ver.* lib. V. LXXII. Aen. II. 154—431.IV... 650.—5) *Pro S. Roscio A.* XI.—6) VII.*Phil.* 7) *Act.* I. *in Ver.* XI.—8) III. *Orat.* LII.

a) Guerra, guerra, dic'ella... *Segn.* Pr. XXXV. n. 1.
Io son colei che sì importuna e fera
Chiamata son... *Petr.* Tr. della Morte, Cap. I.

b) Angeli che sedete custodi.... *Segn.* Pr. I. n. 1.
O gloriose o ben nate, e bene avventurate anime.... *Casa.* Oraz. a Carlo V.

O isplendor di Dio per cu'io vidi
L'alto trionfo del regno verace,
Dammi virtude a dir com'io lo vidi. *Par. XXX.*

c) Che dovrò fare io dunque... *Segn.* Pan. di S.Ign. n. 1.
Un funestissimo annunzio... *Segn.* Pr. I. n. 1.
Voi vi trovate condotti... *Segn.* Pr. III. n. 8.
Lasso me, ch'io non so in qual parte pieghi
La speme ch'è tradita omai più volte! *Petr.*

bius [1]) graviter monet, ne abutamur figuris. Enimvero, etsi figurae sint in oratione, ut quidam aiunt, quod in horto flores, in collo torques, in aureis anulis gemma, imo saepe quod nervi et fibrae in corpore; adolescentes tamen falsa, ut plurimum, specie decipiuntur. Quare sibi persuadeant: primo nec omnem orationis vim et pulchritudinem in figuris consistere, nec praecipuam: deinde figuras, ut pulchrae sint, nasci debere ex ipsa re, qua de agitur, et sponte a phantasia vel animi perturbatione induci: tandem parce et modo esse usurpandas, etiam cum e re nasci videntur. Nihil enim puditius, quam figuras aut alieno loco, aut crebrius quam par est, aut longius adhibere.

Sine figuris sermo etiam consistit.

Qua in re ut omnem errorem amoveamus, certum est imprimis non breves modo sententias, verum longiores etiam sola verborum proprietate et fere sine figuris apte magnaque vi saepe efferri posse, ut:

Sternitur infelix alieno vulnere, coelumque
Aspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos. [2]).

Longius est pulcherrimum illud Tullii: *Epaminondas, quum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam, simulque ipse gravi vulnere exanimari se videret; ut primum despexit, quaesivit, salvus ne esset clypeus : quum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit essentne fusi hostes: quumque id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso, in laetitia et in victoria est mortuus. Leonidas autem rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis, trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, quum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae: philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur* [3]).

Figurae cum sermone proprio miscendae.

Verum orationis pulchritudo atque vigor ex apto figurarum et troporum cum proprio sermone temperamento maxime dependet. Nam, ut cetera mittam, figurarum et troporum defectus phantasiae et affectus defectum arguit in scriptore, qui propterea nec movere nec delectare alios poterit. Atque hinc existit stilus siccus et exanguis, vel certe paullo languidior. Si Romanorum Poenorumque pestilentiae descriptio cum Alexandri militum pestilentiae descriptione comparetur, quamquam utraque sit praeclara, tamen non solum ob sententias sed ob sermonis

1) Lib. IX. c. 3.—2) Aen. X. 782.—3) De Fin. lib. II, c. 30.

nescio quid magis proprium, et figuras troposque in loco adhibitos Curtio melior videbitur Livius.

Exemplum Livii.

Accessit et pestilentia, commune malum, quod facile utrorumque animos averteret a belli consiliis: nam tempore autumni, et locis natura gravibus, multo tamen magis extra urbem, quam in urbe, intoleranda vis aestus per utraque castra omnium ferme corpora movit:et primo, temporis ac loci vitio, et aegri erant et moriebantur: postea curatio ipsa, et contactus aegrorum vulgabat morbos: ut aut neglecti desertique, qui incidissent, morerentur; aut assidentes curantesque eadem vi morbi repletos secum traherent: quotidianaque funera, et mors ob omnium oculos esset, et undique dies noctesque ploratus audirentur: postremo ita assuetudine mali efferaverant animos, ut non modo lacrimis iustoque comploratu (non) *prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem aut sepelirent: iacerentque strata exanima corpora in conspectu similem quoque mortem exspectantium: mortuique aegros, aegri validos cum motu tum tabe ac pestifero odore corporum conficerent: et ut ferro potius morerentur, ferro quidam invadebant soli hostium stationes. Multo tamen maior vis pestis Poenorum castra, quam Romana (diu circumsidendo Syracusas, coelo aquisque adsuerant magis) affecerat. Ex hostium exercitu Siculi...* [1]).

Exemplum Curtii.

Consumptis igitur alimentis, Macedones primo inopiam, deinde ad ultimum famem sentire ceperunt, radices palmarum (nam sola ea arbor gignitur) ubique rimantes. Sed quum haec quoque alimenta defecerant, iumenta caedere aggressi, ne equis quidem abstinebant; et cum deessent quae sarcinas veherent,spolia de hostibus,propter quae ultima Orientis peragraverant, cremabant incendio. Famem deinde pestilentia secuta est: quippe insalubrium ciborum novi succi, ad hoc itineris labor, et aegritudo animi vulgaverant morbos; et nec manere sine clade, nec progredi poterant. Manentes fames, progressos acrior pestilentia urgebat. Ergo strati erant campi pene pluribus semivivis, quam cadaveribus. Ac ne levius quidem aegri sequi poterant: quippe agmen raptim agebatur, tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus, quantum itineris festinando praeciperent. Igitur qui defece-

1) Liv. lib. XXV. c. 20.

rant, notos ignotosque, ut allevarentur, orabant. Sed nec iumenta erant, quibus excipi possent, et miles vix arma portabat, imminentisque etiam ipsis facies mali ante oculos erat. Ergo saepius revocati ne respicere quidem suos sustinebant, misericordia in formidinem versa [1].

Si figurae vel tropi nimis sunt, turget stilus.

Sed praestat plurimum scriptores conferre, qui vel eamdem rem narraverunt, vel eumdem librum sunt interpretati a): erit vel inter optimos ob eam, quam supra diximus, causam aliquod discrimen. Quod si figurae vel tropi nimis sint, tunc stilus fiet turgidus, vel certe satietatem demum generabit. Ut enim nimia lux oculis perstringit, et per nimia condimenta corrumpitur cibus; ita figurae et metaphorae, si plus quam opus est congerantur, orationem obcaecant, efficiuntque molestam: nam figurae, quaecumque sint, quod vel communem loquendi modum praetereant, vel ab aliena rerum imagine sumuntur, si crebrae sint, aures et animum fatigant. Accidit hoc non modo in malis seculi XVII. auctoribus, sed in optimis quibusque cum plurimum indulgent sensibus, vel in descriptionibus nimium se amant [2]). Conferatur Didonis et Cleopatrae convivium, ut pateat Virgilium [3]) iusto etiam troporum usu Lucano antecellere [4]).

Sermo proprius figuras sustentet.

Nec vero sola figurarum et troporum cum communi sermone apta temperatio ad optimam orationem exquiritur: sed necesse est, ut cum rerum pondus et sententiarum gravitas, tum maior communis sermonis vis modique dicendi praeclarissimi figuras ipsas et translationes sustentent. Huius rei defectu fit, ut plurima quae in Tullio, Livio, Virgilio, Horatio et Terentio admiramur, in Seneca, Martiali, Silio, aliisque, maxime sequioris latinitatis, auctoribus vix ferre possimus. Delectus enim ipse verborum modorumque dicendi vigor faciunt, ut grandiori Tullii oratione non offendamur, cum Caesarem aut Pompeium praedicat: quod certe minus evenit, cum Plinii in Traianum panegyricum legimus.

Non immorandum eadem figura.

Illud denique est fugiendum, ne multum in certa quadam figura immoremur, nec nimium eiusdem consectemur adiuncta. Quod cum saepe Ovidius et narrando et describendo facit, si

1) Q. Curtii R. Lib. IX. c. 17. — 2) V. Bartoli, *Opere Morali*. 3) Virg. Aen. I. v. 641.—4) *Phar.* X. v. 207.

a) V. Concordio e Alfieri, Trad. di Sallustio. — Davanzati e Dati, Trad. di Tacito.

Virgilio comparetur, videbitur minus vigoris habere. Plenius id perspici potest in Fabula Orphei et Euridices ab utroque descripta[1]): nos brevius Famae descriptiones afferemus, quae non sunt nisi praeclarae quaedam figurae.

Virgilii et Ovidii comparatio.

Fama, malum quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:
Parva metu primo; mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata Deorum,
Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis:
Monstrum horrendum ingens; cui quot sunt corpore plu-
(mae,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat coeli medio terraeque, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes;
Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri [2]).

Orbe locus medio est, inter terrasque fretumque,
Caelestesque plagas, triplicis confinia mundi;
Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures.
Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce;
Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, et nullis inclusit limina portis.
Nocte dieque patet. Tota est ex aere sonanti;
Tota fremit, vocesque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque silentia parte:
Nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis;
Qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
Esse solent, qualemque sonum cum Iupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenent: veniunt...... [3]).

1) Virg. *Geor.* IV. sub fin. Ovid. *Metam.* initiis X et XI.—2) Aen. IV. 172. — 3) *Metam.* XII. 39.

CAPUT V.

DE STILO

Stili definitio.

Stilus, graece στύλος, fuit instrumentum scriptorium aeneum vel ferreum, quo in ceratis tabulis veteres scribebant: hinc metonymice pro exercitio scribendi, et pro forma scriptionum, structura verborum, charactere vel genere dicendi ponitur. Non solum quodlibet scriptionis genus peculiarem dicendi formam, seu proprium pulchri exprimendi modum sibi vindicat; sed et quilibet auctor in singulis scriptionum generibus illam ipsam formam certo et proprio modo exequitur: quare stilus dici potest tum peculiaris cuiusque scriptionis dicendi forma, tum singularis cuiusque auctoris scribendi ratio: utraque vero tum arte et exercitio tum imitatione vel excolitur vel acquiritur. Partes igitur stili, ut est forma scriptionum, primum recensebimus: tum eiusdem divisiones, ut est cuiusque auctoris scribendi ratio: deinde stili comparandi trademus methodum, ac tandem imitationis naturam explicabimus. Sed quoniam et saepe alias et hic praesertim pulchritudinem, venustatem et gratiam, cum quibus stilus vel idem est vel arcto nexu coniunctus, necesse est commemorare; praestat harum rerum vim et rationem docere. Qua de re veteres pauca fortasse tradere videntur: recentiores novam scientiam condunt, quam graeco nomine Kallologiam aut Aestheticam appellant [1].

Stili divisio.

Pulchritudinis notitia.

§ I.

De Pulchritudinis Notionibus

Sublime.

Pulchrum.

Quemadmodum in rebus naturae vel potentiam, qua efficiuntur, vel sapientiam, qua easdem Deus apta ad quid efformandum convenientia disponit, mens nostra suspicit; ita eadem mens in hominum operibus, quae vel in moribus vel in arte consistunt, aut virtutem vimque admiratur, aut delectatur opportuno et congruo rerum ordine. Ex magnitudine igitur et ordine mens aut admiratione percellitur, aut movetur delectatio-

1) V. *Gir. Vivenzio*, Princ'pii di Estetica—*Franc. Ficker*, Estetica

ne: ab illa Sublime, ab altero Pulchrum quid dicitur: quod utrumque est triplex: naturale scilicet, morale, et artificiale.

Natura sublimis.

Sed nec omnis magnitudo Sublime, nec omnis ordo constituit Pulchrum. Cum potentia seu vis adeo excellunt, ut mens vix easdem assequatur, ingentem quamdam magnitudinis notionem informamus: in hoc Sublime est, et varios gradus habet; quorum infimus est Magnum, in eo positum, ut communes mensuras excedat. Sublimes species habentur: *Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes et fumigant* [1]). *Commota est et contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis. Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo. Inclinavit coelos et descendit; et caligo sub pedibus eius. Et ascendit super Cherubim, et volavit: volavit super pennas ventorum* [2]).

Sublimis exempla.

Homeri.

Η"τ', ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐράνῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπί χθονὶ βαίνει...*Iliad.*IV.
Σύν δ' ἔπεσον μεγάλῳ πατάγῳ, βράχε δ' εὐρεῖα χθών.
Α'μφὶ δὲ σάλπιγξεν μέγας οὐρανὸς. ἄϊε δὲ Ζεὺς,
"Ημενος Οὐλύμπῳ. *Ib.* XXI.
"Εδδεισεν δ'ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων, Α'ϊδωνεὺς,
Δείσας δ' εκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθεν
Γαῖαν ἀναῤῥήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
Οικία δὲ θνήτοισι καὶ ἀθανάτοισι φανείη
Σμερδαλέ', εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοί περ.*Ib.*XX (a)

1) Psal.CIII.32.—2) Psal. XVII.7.8. V. *Audisio*, vol. III.lez.XIII.

a) Che da principio piccola si leva,
Poi mette il capo tra le stelle e immensa
Passeggia sulla terra
Scissi in due parti s'avanzâr sdegnosi
L'un contro l'altro con fracasso orrendo:
Ne muggì l'ampia terra, e le celesti
Tube squillâr: sull'alte vette assiso
Dell'Olimpo n'udì Giove il fragore.
Tremonne
Pluto il re de' sepolti, e spaventato
Diè un alto grido e si gittò dal trono;
Temendo non gli squarci la terrena
Volta sul capo il crollator Nettuno,

Ipse Pater media nimborum in nocte corusca Virgilii.
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit: fugere ferae, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deiicit: ingeminant austri et densissimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.
I. G. 328.

Stabat acuta silex, praecisis undique saxis,
Speluncae dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona iugo laevum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avulsam solvit radicibus: inde repente
Impulit, impulsu quo maximus insonat aether:
Dissultant ripae, refluitque exterritus amnis.
Aen. VIII. 233 a).

Iustum et tenacem propositi virum... III. *od.* 3. Horatii.
Fertur pudicae coniugis osculum... III. *od.* 5.

Itaque non solum magna aliqua vis ingentia patrans, sed quid etiam simile sublimes in animo pariunt species: ut immensum aliquod in planitie, in caelo, in oceano; ut quid praeter modum solitarium, silentiosum, obscurum, horridum; ut extraordinaria in actionibus in moribus in affectibus virtus b).

Quod si id, quod mente vel aure aut oculo percipimus, unum quidem est, sed vel re vel virtute multiplex, atque ita ut congrua ad sensus ciendos convenientia vigeat, pulchrum dicitur. Itaque ut pulchrum sit, non quaecumque varietas unitate donata, Natura pulchritudinis.

Ed intromessa colaggiù la luce
Agli Dei non discopra ed ai mortali
Le sue squallide bolge, al guardo orrende
Anco del ciel. *Monti.*

a) Finito questo, la buia campagna... *Inf.* III. v. 130.
Come quando una grossa nebbia spira.. *Inf.* XXXIV. v. 4.
Levasi un grido subito ed orrendo... *Ar.* XII. 76.
Il legno sciolse e fe sciogliere la vela... *Ar.* XLI. 8.
Chiama gli abitator dell'ombre eterne... *Tas.* G. IV. 3.
Nell'ira Argante infellonisce e strada... *Tas.* G. VI. 36.

b) V. *Alfieri*, Saul, At. IV. sc. 4. — *Monti*, Arist. At. II. sc. 7.

sed quae magis sensuum naturae accommodetur, requiritur: hoc est, convenientiae, quae est inter varietatem et unitatem, accedere debet convenientia ad sensus. Tum ut pulchrum sentiatur, non sufficit quaecumque perceptio; sed debet esse etiam dispositio facultatum ad pulchrum intuendum, ita ut affectus excitetur. Quae animi dispositio, maxime ex parte phantasiae, adeo est necessaria, ut nonnulli adhuc negent pulchrum in rebus esse; contendant autem solum in anima inveniri, vel etiam nescio quam *ideam* comminiscantur, praeter animi facultates et dispositiones, quas tantum admittunt, qui *ideas* innatas merito respuunt.

Pulchritudinis partes.

Pulchritudinis partes sunt Elegantia, Venustas, et Gratia. Elegantia est pulchritudo cum dignitate: Venustas est pulchritudo cum concinnitate: Gratia est pulchritudo cum festivitate et lepore; nam in vita et motibus proprie est, atque homini vel animantibus praecipue tribuitur.

Elegantia.

Elegantia est in hoc Virgilii loco:

Forte sacer Cybele Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrina ferrugine clarus et ostro
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu:
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati
Cassida: tum croceam chlamydémque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro
Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum [1] a).

Venustas.

Venustas apparet in Tibullo, cum describit Apollinem:

Tandem, cum summo Phoebus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuvenis casta redimitus tempora lauro,
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quidquam formosius ulla priorum
Aetas, humanum nec videt illud opus.

1) Aen. XI. 768.
a) Dolce color d'oriental zaffiro... *Purg.* I. v. 13...
Levan la bara ed a portarla foro... *Ar.* XLIII. 173...

Intonsi crines longa cervice fluebant,
Spirabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia luna,
Et color in niveo corpore purpureus:
Ut iuveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras, ore rubente, genas:
Ut cum contexunt amaranthis alba puellae
Lilia: ut autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla:
Namque haec in nitido corpore vestis erat.
Artis opus rarae, fulgens testudine et auro
Pendebat laeva garrula parte lyra... 1) a).

Gratia denique videri potest in illo Virgilii: Gratia.

Vade, age: et Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos iubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Fraenatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.
Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ:
Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro,
Pars leves humero pharetras: it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores: pueri bisseni quemque secuti,
Agmine partito fulgent, paribusque magistris 2).

Eamdem gratiam habent in Catullo — *Passer deliciae* 3) — *Lugete o Veneres* 4) et alia eiusdem carmina b).

1) Lib. III. Eleg. IV.—2) Aen. V. 548.—3) Carm. II.—4) Carm. III.
a) Da' bei rami scendea... *Petr.* p. I. c. 27.
Poichè lasciàr gli avviluppati calli... G. XVI. 9.
b) Vago già di cercar dentro e d'intorno
La divina foresta... *Purg.* XXVIII. I. e seg.
Un paggio del Soldan misto era in quella
Turba di.... *Tasso* IX. 81 e seq.

Harum rerum usus. Quibus exemplis pulchritudinem certis limitibus non definivimus: nam in qualibet pulchritudinis specie sunt quidam ultra citraque fines, quos inter pulchritudo ipsa potest consistere. Sed cavendum ne, si nimis citra, negligentia, si nimis ultra, adfectatione peccemus. Praeterea, ut satietati varietate occurramus, non est in eadem pulchri specie nimis immorandum; praesertim cum non solum tres illae pulchritudinis formae, sed ipsum sublime et eodem in opere et eadem in narratione vel descriptione optime inesse possint. Enimvero Homeri Clypeus sublime prius, tum diversas pulchri species in variis diagrammatis praefert: [1]) quod in Virgilii Clypeo, qui grandior fertur, minus fortasse videtur [2]).

Unde pulchrum artificiale? Verum pulchri species et ipsum sublime fere communi nomine *pulchritudo* appellantur. Quo sensu generatim aliqua de pulchro artium proprio adhuc addemus: nam ipsum proxime ad rem nostram facit. Artificialis pulchritudo incipit concepta quadam rei informatione, rei deformatione, hoc est delineatione, perficitur, et executione, puta voce sono coloribus, vires omnes suas exerit. Sed in Informatione inesse debet pulchri typus, qui apta ad affectus ciendos imagine instruatur: Deformatio varietate et unitate, ut elementis, et convenientia, ut forma, rem totam, fere ex natura et morum imitatione, congrue disponit: Executio per formas sensiles, quae rem adamussim referant, ipsam mentis deformationem aut oculis subiicit, aut per aures ad animum transmittit.

Quid Genius? Praeterea rei informatio, date hanc vocibus veniam, a *Genio*, deformatio a *Gustu*, executio ab *Habilitate* dependet. *Genius* dicitur virtus illa ingenii, qua pollent ii, qui pulchrum in scientia vel arte ita informant, ut non effingere modo, sed quasi creare videantur: quare est facultas varios mentis et phantasiae typos ad pulchritudinem pertinentes prompte arripiendi, et mira quadam cum facilitate producendi. Genius, qui non solum in singulis hominibus, sed quoad singulas scientias et artes varius est, fere solum a natura est, atque educatione vel institutione, studio et diligentia explicatur.

Quid Gustus? Quod in scientiis est iudicium, in artibus est *Gustus*, qui dici potest: facultas diiudicandi pulchritudinem et aptiora ad eamdem efformandam elementa seligendi; praesertim cum agi-

1) Iliad. XVIII. 467... — 2) Aen. VIII. 626.

tur de illa imitatione, qua id, quod natura vel facto ipso assequeremur, artium opera de industria obtinemus; idque melius, non quidem naturam pene indiscreta similitudine exprimendo, sed quodam rerum delectu naturam ipsam, qua parte videbitur melior, optime repraesentando. Gustus autem non maturo quodam iudicio et res veluti evolvendo, sed fere obvia quadam intuitione et viva rerum repraesentatione pulchrum attingit: excolitur vero pulchrioribus naturae vel artium rebus, quas a pueris contemplari assuescimus. Quare omnino congruus est tempori, gentibus, climati, educationi, sexui, annis, civili et religiosae institutioni, moribus, scientiarum cultui. Hinc gustus est verus vel falsus, naturalis vel arte acquisitus, excultus vel rudis, ad unam rem definitus aut versatilis [1].

Gustus in imitatione.

Eius adfectiones.

Habilitas tandem est: expolita facultas praeconceptas rerum deformationes formis sensilibus exterius apte significandi: quare exquisitis artis praeceptis, et assiduo praesertim exercitio comparatur. Sed nunc, ut rem totam explicem, brevi utar exemplo: cum Bonarrota Moysem effinxit, Genius in informatione Moysem illo corporis incessu et vultus ardore suggessit; Gustus in deformatione congruas tanti operis partes elegit ac disposuit; Habilitas denique rem totam exequendo in sculpto marmore spectantium oculis subiecit. Virgilio Genius Iovem e nubibus fulmina iaculantem inspiravit; Gustus tantam notionem partibus instruxit convenientibus; Habilitas verbis et carminibus expressit.

Quid Habilitas?

Exempla.

Dionysius Longinus, qui studiosis carus esse debet, quinque fontes innuit, ex quibus, posita dicendi facultate, large hauriatur sublime. Primus quidem et praestantissimus in felici quadam sententiarum ubertate et amplitudine consistit. Alter constituitur vehementi et animos concitante, qui dicitur *enthusiasticus*, affectu. Tertius est certa figurarum, sive sententiarum sive verborum, fictio varietasque. Quartus egregia et praestans phrasis; cuius partes sunt verborum delectus, et tropica ac efficta dictio. Quinta denique Magnitudinis efficiens causa, eademque concludens quae ipsam praecedunt omnia, nihil est aliud, quam in dignitate et elatione posita compositio [2].

Pulchritudinis fontes ex Longino:

Sed tertius ille, tum quartus fons non tam ad Sublime, quam ad Pulchrum spectant: nam, cum sublime fere paucis, at op-

Cuius sententia dividitur.

1) V. Cic. Orat. XI.—2) Περὶ ὕψους.

portunis, adiunctis, et verbis non tam splendidis quam significantibus efferatur, ac totam vim habeat a sententiis, non potest duci a certa figurarum fictione et varietate, neque a phrasi, licet egregia et praestanti, seu verbis selectis, translatis, et callide, ut ait Horatius, iunctis: haec omnia profecto maxime iuvant, imo sunt interdum omnino necessaria, sed sublime non constituunt. Itaque duo illi fontes ad pulchrum proprie faciunt: quin etiam nec in illis omnis aut praecipua inest pulchritudo.

Pulchritudo Orationis. Carminis.

Illa enim oratio vel carmen est pulchrum, in quo primum rei propositae unitas vim omnem in erectis animis exerceat: tum partium varietas pluribus, sed ad unum tendentibus, viis et taedium avertat et afferat delectationem. Atque in ipsa varietate accomoda partium distributio, proportio, ordo, nexusque vigebit, ut miro quodam concentu totum aliquod efflorescat, quod mens uno sed vario conspectu intueatur, ut excitetur. Commotio autem haec non habebitur, nisi argumenta etiam et instrumenta ad finem, qui proponitur, sint apta atque idonea, adhibeanturque iis dicendi dotibus, quae superius sunt traditae.

§ II.

De Stilo, ut est scriptionum forma

Stilus, ut est scriptionum forma, dividitur in magnificum seu sublimem; in humilem seu tenuem; in mediocrem seu aequabilem.

Stilus sublimis.

Sublimis dicitur, qui verbis gravibus, magnificisque sententiis constans sua nobilitate audientium animos extra se quodammodo rapit, et admirationem vel ab invitis extorquet. Quod fit si sententiae vim, maiestatem, dignitatemque prae se ferant, ac res, de quibus loquimur, ea parte inspiciantur, qua illustriores et speciosiores sint: si verba eligantur optima, metaphorae ex rebus ducantur splendidis.

Quid ridiculum?

Sed in verbis cavendum est, ne sententiam vel nimia loquacitate frigidam, vel exaggeratione ridiculam efficiamus: ridiculum enim fere totum est in aperta morum et personarum, partium et totius, instrumentorum et finis dissimilitudine atque inaequalitate, quae ob rei insolentiam valde sensus percellunt et risum provocant [1]).

Fontes su-

Ut autem notionibus, quae animum extra nos rapiant, eru-

1) V. Cic. II. Orat. LVIII. LIX.

blimis. Auctores Sacri.

diamur, legemus Sacra imprimis Biblia, praesertim Prophetas: tum egregios quosque scriptores, qui maiestate et gravitate floruerunt. Quid sublimius, ut cetera mittam, Psalmis Davidis et Iobi libro? Sed praestat legere Isaiam et Ieremiam: quorum prior magnitudine et terrore, alter *pathetico*, quod dicunt, excellit genere. Verum in sacris Bibliis legendis studebimus ne omnes Orientis imagines similitudines et metaphoras ad nostra sine iudicio traducamus: Graecorum et Italorum ingenio, naturae, ac moribus omnia sunt accommodanda. Ex ceteris auctoribus Homerus facile est princeps: tum Virgilius, Aligherius, Ariostus, Torquatus in epicis: in lyricis Pindarus, Horatius, Chiabrera, Filicaia: in tragicis Aeschylus, Sophocles, Euripides, Alfieri, Monti, Corneille, Crebillon, Shakspeare. In his enim auctoribus sublimis species maxime elucent: siquidem in rebus sublimes cogitationes ex Deo eiusque proprietatibus imprimis ducuntur, tum ex iis, quae Dei magnitudinem proxime referunt; ut in natura caeli, astra, venti, terraemotus, procellae, alia; in hominibus praelia, imperia, victoriae, triumphi. In affectibus vero, qui a privato amore magis recedunt, et ex Dei proximique charitate prodeunt, grandiores sunt: quare religionis et patriae amor, tum affectus, qui ex iisdem consequuntur, sublimiores sunt, quam ii, qui ex sui vel familiae amore nascuntur.

Scriptores profani.

Quae sublimis species?

Stilus tenuis.

Stilus tenuis seu humilis in rebus tenuioribus et exilibus usurpari solet, ac in eo totus est, ut res dilucide simul et concinne aperiat. Eius dotes sunt perspicuitas, nitor, puritas. De illo autem sic praecipit Tullius: *Ergo ille tenuis orator, modo elegans, nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priscis, reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum demissior: translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed rusticorum: siquidem est eorum* GEMMARE *vites,* SITIRE *agros,* LAETAS *esse segetes,* LUXURIOSA *frumenta* [1]).

Stilus familiaris.

Ad tenuem stilum familiaris pertinet: cuius proprietates sunt, ut sit urbanus, facetus, venustus. De urbanitate multa iam diximus: facetum, licet ridiculo saepe delectetur, tamen praecipue significat amoenum quid, elegans, iucundum, eruditum, certis quibusdam salibus respersum: venustum autem est quod

1) Cic. Orat. XXIV.

cum gratia quadam et lepore dicitur. Ioci, sales, facetiae, proverbia, quarum rerum discrimina difficile patent, familiari sermoni et tenui stilo apprime conveniunt, si in loco et secundum decorum adhibentur: quare haec etiam urbanorum hominum consuetudine, et illustrium scriptorum usu et studio nobis comparabimus.

Stilus Medius.

Mediocris stilus seu medius, inter sublimem et humilem positus, ita utrumque attingit, ut nec ad superioris maiestatem ascendat, nec ad tenuitatem descendat alterius; sed venustioribus sententiis, et pulchrioribus verborum ornamentis delectetur. Ut stilus sublimis varias magnitudinis dotes, sic mediocris ceteras pulchritudinis partes amplectitur: quare insignis et florens est, pictus et expolitus: in quo omnes verborum veneres, omnes sententiarum illigantur lepores: propositum est enim illi praecipue delectare. Concinnas igitur sententias exquirit, amoeniores figuras easque crebriores adhibet, verba apertius transfert, ac omnia ita disponit, ut pictores varietatem colorum.

Stili varietas et usus diversus.

De stili varietate et usu hoc generatim praecipi potest; ut stilo tenui utamur ad docendum, mediocri ad delectandum, magnifico vero ad movendum. Praeterea stilus tenuis convenit dialogis, narrationibus, epistolis; tum idyliiis, eclogis,comoediis: mediocris Historiae, descriptionibus, et praeceptionibus poëtice traditis: magnificus tandem aptus est tragoediae, poëmati epico vel lyrico, et sublimioribus concionibus vel concionum partibus.

Stili delectus.

In stili autem delectu ille ceteris est anteponendus, qui rei de qua agitur, scriptionis generi, auditorum captui, et orationis vel poëmatis partibus maxime congruit; tum qui, ut ait Tullius: *Magna graviter, mediocria temperate, humilia subtiliter efferat* [1]).

Alia stili divisio seu characteres.

Est etiam illa stili divisio tenenda, qua scriptionum characteres statuuntur. Quamquam enim in quolibet scribendi genere omnes hominis facultates exerceantur; tamen scriptionum aliae ad intellectum, aliae ad voluntatem, aliae ad memoriam, ad phantasiam aliae potissimum referuntur: quare cum tam diversae facultates sint vel instruendae vel movendae vel delectandae vario, pro earumdem facultatum natura, dicendi genere singulae scriptiones sunt temperandae. Hinc quatuor scribendi characteres existunt: Τεχνικὸς seu philosophicus, oratorius,

1) Cic. III. Orat. LV. Orat. XXVIII. XXIX.

enarrativus, et poëticus. Horum characterum proprietates aliis in locis explicantur: ad stilum quod attinet, eorum quilibet, ut propriis argumentis et certa ordinis textusque ratione, sic propriis etiam figuris et tropis, certis verbis et dicendi modis delectatur. Quod ut clarius et maiori cum fructu perspiciatur, praestat conferre agricolarum voluptates a Tullio et Ovidio descriptas [1]; mortem Caco ab Hercule inlatam a Livio et Virgilio [2]; poëseos laudes a Cicerone et Horatio expressas [3]. Ex optimorum itaque scriptorum consuetudine, quae cuiusque characteris maxime sint propria, ediscemus: perperam enim quidam tum in figuris tropisque, tum in verbis aut phrasibus nullum adhibent iudicium, sed quae sunt orationis in carmen, quae carminis sunt, transferunt in orationem, quod forte est turpius. Exempla.

§ III.

De stilo, ut est cuiusque auctoris scribendi ratio

Stilus, ut est cuiusque auctoris scribendi ratio, primo ex varia sententiarum expositione in diffusum aut concisum, in languidum aut robustum tribuitur: deinde ex ornatu in siccum, planum, nitidum, elegantem, floridum, venustum, gravem: tandem ex ipsius expositionis natura dicitur simplex, aut affectatus. Stili partes.

Diffusus sententias copiose exponens, varioque in lumine collocans, easque expoliens ornansque affert legentibus lucem omnem, ut rem plene intelligant: amat periodos ut plurimum longas, ornamentorum copiam, magnificentiam, amplificationem [4]. Stilus diffusus.

At concisus sententias quam brevius potest perstringit, significantiora usurpat verba, φράσιν omnem, quae vim rei non augeat, uti redundantem amputat, rem semel sed maxima in luce offert, ornamenta et figuras adhibet quidem, sed quae non tam gratiam quam robur addant; periodo delectatur brevi, in qua struenda vim potius, quam numerum quaerit: tandem brevitate ita gaudet, ut multa sagaci auditorum menti intelligenda relinquat [5]. Concisus.

1) Cic. de Sen. c. XV. XVI. Ovid. Rem, v. 169...
2) Liv. lib. I. c. 4. Virg. Aen. VIII. v. 190 et seqq...
3) Cic. pro Archia, VII. — Horat. lib. IV. od. VIII.
4) Tullius, Livius — *Guicciardini*, *Bartoli*, in Historiis.
5) Sallustius, Tacitus — *Compagni*, *Davanzati*.

Stili diffusi et concisi usus. Sive diffusus, sive concisus sit stilus, dummodo extrema vitentur, quae languorem vel obscuritatem orationi afferunt, in loco usurpatus uterque est optimus. Legentibus tamen iusta brevitas, audientibus temperata copia est opportunior: descriptiones conciso potius, narrationes diffuso etiam stilo celebrantur [1]). Animi motus brevibus sententiis saepe excitantur: mens uberiora rerum argumenta explicationesque requirit. Brevibus sententiis concitatior, crebris periodis gravior fertur oratio: quae ne subtilior sit aut tardior, incisis, membris, periodis temperabitur. Veteres stilum Asiaticum vel Laconicum, Atticum vel Rhodium etiam nominabant: Asiaticus diffusi, Laconicus concisi stili est extremum: Atticus temperatus ex utroque: Rhodius Attico paullo est copiosior, sed et ipse optimus [2]).

Stilus languidus. Stilus languidus stili diffusi, robustus stili concisi differentia habetur: at saepe diffusi etiam scriptores robusti sunt. Nam infirmitatis vel vigoris fundamenta sunt sententiae, quae, si non plene percipiuntur, otiosis involventur epithetis, verbis efferentur impropriis; tum dicendi formae erunt genericae, constru-

Robustus. ctiones aut debiles aut confusae orientur. E contra cum res clare pleneque sentiuntur, diffuso aeque ac conciso stilo nervose exponentur: scriptor enim, qui rem plane perspexit, illam vi significat, verba usurpat significantiora, ac materiam dictionibus figurisque omnibus accurate exprimit, et eviden-

Vehemens. tioribus usque coloribus depingit [3]). Quod si quis maiori feratur impetu, verbisque utatur, quae a phantasia excitatisque animi motibus proficiscuntur, tunc stilus vocatur vehemens [4]).

Siccus. Planus. Stilus siccus seu exanguis omnem excludit ornatum, rem significare contentus. Planus siccum non plurimum supergreditur, paucos adhibet ornatus, et fere solum de rebus rerumque intelligentia est sollicitus; amat tamen perspicuitatem, puritatem, proprietatem, et quandoque etiam vigorem ac festivitatem. Stilus siccus vix in praeceptionibus est tolerabilis: ubi tamen melius adhibetur planus.

Nitidus. Stilus nitidus excipit planum, et ornatum sectatur sed mediocrem, modestumque: sermonis delectatur pulcbritudine, sed ea, quae ex verborum delectu et apta eorumdem collocatione nascitur: sententias amplectitur paucis sed clare, periodos bre-

1) Herod. et Liv.—Thucyd. et Sall.—2) V. *Bartoli*, Uomo di lettere. 3) Tullius, Herodotus, Virgilius. — 4) Demost. et Chrys.

ves verbisque superfluis carentes, figuras venustas potius quam vehementes, brevitatem, proprietatem, atque varietatem in omnibus diligit,sed sine aperto studio.Si quae de stilo nitido diximus, ad eam perfectionem accedunt, ut in verbis, in dicendi formis, in metaphoris, in figuris, in sententiis nullus sit ornamenti defectus, nullus excessus, sed multus solum delectus, tunc stilus dicitur elegans. Elegans enim est scriptor, qui et instruit dicendo, aures animosque delectans, et suas sententias omnibus gratiis, sed sine fuco et calamistris adornatas perspicue, pure proprieque exponit, quae aptiora sunt adamans. Elegans.

At stilus floridus ornamenta omnia studiose conquirit, et omnes verborum figurarum ac sententiarum lepores deliciasque largo luxu et sumptuosa copia profundit: quare, si certa quaedam paullo hilariora scripta excipias, in scriptoribus maturae praesertim aetatis nullo modo probari potest, ac vix pueris est permittendus ob eam, quam Fabius affert rationem: *Audeat haec aetas plura, et inveniat, et inventis gaudeat, sint licet illa non satis sicca interim ac severa. Facile remedium est ubertatis, sterilia nullo labore vincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum spei dederit, in qua ingenium iudicio praesumitur* 1). Quare etiam Tullius. *Volo enim se efferat in adolescentibus foecunditas* 2). At recentiores nonnulli videant num omnes inter pueros haberi velint. Puerile enim est, ne dicam stultum, florido ac poëtico dicendi genere uti, cum stricte argumentari opus est, aut cum apud imperitam dicitur multitudinem, quae verborum strepitu et intempestiva magnificentia opprimitur. Floridus. Ubinam usurpandus?

Ut venustus mediocris stili, sic gravis magnifici est adfectio: quare prior gratiam leporem atque festivitatem, alter vim maiestatem atque decus in verbis figuris, periodis sententiisque omnibus maxime consectatur. Stilus venustus, et gravis.

Tandem ut stili simplicis naturam cognoscamus, oportet primum tenere, quid proprie sit simplicitas. Iam simplex accipitur vel prout pluribus partibus in oratione aut carmine, vel prout multo in sententiis excogitandis studio opponitur: quare est vel idem ac unum, vel idem ac *spontaneum* et naturale. Praeterea simplex in stilo non ornatus speciem, sed facilitatem spectat, nativamque dicendi rationem, quae cum maximis etiam Stilus simplex varie.

1) Lib. II. c. 4. — 2) II. Orat. II.

ornamentis saepe coniungitur, uti apparet in Homero. Hoc sensu stilus dicitur simplex, cum nullo fertur aperto artificio, ingenuum ostendit candorem (quem maxime suspicimus in auctoribus qui primi in aliqua re floruerunt) ac verba, sententiae, figurae, et ornatus omnis ab ipsa auctoris rerumque natura sponte prodire videntur 1). Qui contrariis afficitur vitiis, stilus adfectatus dicitur, et ex nimio studio artificioque dignoscitur 2) Auctores qui medii sunt fere naturam arte non omnino occulta describunt, sed priores rerum delectu superare solent 3).

Stilus adfectatus

§ IV.

De ratione stili comparandi

Necessitas stili proprii.

Ut ea scribamus, quae cum ab omnibus qui nobiscum sunt, tum a posteris nostris et legantur et suspiciantur, nihil est tam necessarium, quam optimus stilus, qui suis propriis coloribus res nostras illuminet. Cum hic stilus sit certa quaedam scribendi ratio cuiusque propria, difficile est peculiares quasdam eius comparandi leges certo statuere,quin necessaria inveniendi disponendique libertas ingenio adimatur. Ceterum stilus ex sententiis,ex verbis, quibus ipsae sententiae quodammodo vestiuntur, atque ex scribendi exercitio praecipue enascitur. Quare de his rebus generatim aliqua tradi possunt: reliqua ex cuiusque iudicio, gustu et cultu plurimum pendent.

Quid praecipi hic potest?

Quae sententiae?

Atque in sententiis quidem primum, ut alias diximus, curandum est, ut sint verae aut saltem verisimiles ; deinde, ut sint perspicuae; postremo, ut sint argumento idoneae, et auditoribus, si apud eos res agitur, accommodatae.Quapropter praecipuum studium in hoc conferemus, ut rem, qua de loquimur vel scribimus, clara, accurata, plenaque cognitione complectamur: nam si rei cognitio est confusa, obscura, imperfecta,eosdem defectus induet stilus, qui cognitioni semper respondet: *Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest* 4). Quare Horatius :

Horatii mens.

Scribendi recte sapere est et principium et fons;
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque provisam rem non invita sequentur 5).

1) Aeschylus, Ennius, Dantes.— 2) *Roberti, Caesari.*—3) Sophocles, Virgilius, Ariostus.— 4) Cic.I.Or. XI.—5) Epist.ad Pis.v.309.

Maximam etiam ad optimum stilum comparandum vim affert plena patriae linguae, aut certe illius, quo scribimus, idiomatis cognitio : frustra enim quis stilum formare aut ostendere affectat, si linguam, in qua praecipue stilus consistit, imprudenter negligit. Nam cum perfecta ac plena grammaticorum praeceptorum cognitio exquiritur, tum maxima copia verborum, sive propria sint sive translata: ad haec, necessarius est phrasium modorumque dicendi magnus veluti thesaurus, qui non nisi ab assidua optimorum scriptorum lectione hauriri potest. Linguae Studium.

Nec vero omnis scriptorum lectio erit utilis. Ille enim probabilem stilum assequetur, qui solum optimos quosque auctores nocturna diurnaque manu verset, eorumque locutionem, rationemque dicendi, periti aurificis quasi statera, examinet. Ad rem Fabius: *Ac diu non nisi optimus quisque, et qui credentem sibi minime fallat, legendus est: sed diligenter, ac pene ad scribendi sollicitudinem : nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus* 1).Quare Gerdilius animadvertit illustres quosque, qui litteris floruerunt, viros certum quemdam auctorem tantummodo familiarem habuisse. Quod vehementer crebroque adolescentibus est commendandum: qui saepissime non studii gratia, sed aut delectationis causa, aut superbiae aestu (turpe enim putant, quosdam auctores non legisse) omnes libros solent revolvere. Qui versandi auctores?

Ac ne sola quidem optimi auctoris consuetudo ad stilum effingendum sufficit : praestat egregium eiusdem auctoris locum bis terque attente legere; mox, relicto libro, eadem nos scribere conari, ut deinde nostram dicendi rationem cum optimo exemplari conferamus. Qua in re iuvat plurimum, si vel alterius sententias nostris verbis adornemus, vel sententias nostras alterius sermone induamus, vel tandem, quod est praeclarius, sententiam elocutionemque probati scriptoris aemulari nitemur : quae est triplex imitandi ratio in exercitio stili probanda. Nam certi cuiusdam auctoris notas phrases exscribere, surripere sententias, vel stilum ipsum studiose adfectare, puerile est, et quod ingenii nostri paupertatem prodit. Prodest etiam multum praeclaros alienae linguae auctores vernaculos facere: hoc Latini, imprimisque Tullius; hoc Itali nostri XIV et XVI seculo praestiterunt : Cavalca, Concordio, Firenzuola, Caro, Casa, Davanzati, Segneri, alii 2). Scribendum lectis auctoribus.

1) Lib. X. c. 1.—2) V. *B. Puoti*, Arte di scrivere in prosa, vol. 1.

Scribendi exercitium maximum sit.
Tullius.

Scribendi exercitium maximum esse debet: nam qui calamo parcit, ingenio parcit. *Caput autem est*, inquit Tullius, *quod, ut vere dicam, minime facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister: neque iniuria. Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit; hanc ipsam profecto assidua et diligens scriptura superabit. Omnes enim sive artis sunt loci, sive ingenii cuiusdam atque prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, inquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se, et occurrunt; omnesque sententiae, verbaque omnia, quae sunt cuiusque generis maxime illustrata, sub acumen stili subeant et succedant, necesse est: tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur scribendo* [1]).

Scribendi regula.
Fabius.

Mora tamen in initio non celeritas scribendi est laudanda. *Sit primo*, inquit Fabius, *vel tardus, dum diligens, stilus: quaeramus optima, nec primo se offerentibus gaudeamus: adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis: delectus enim rerum verborumque habendus est, et pondera singulorum examinanda... Nam praeter id quod sic melius iunguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, sic recipit ex integro vires, et velut repetito spatio sumit impetum... Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat: omnia enim nostra, dum nascuntur, placent, alioquin nec scriberentur. Sed redeamus ad iudicium et retractemus suspectam facilitatem: sic scripsisse Sallustium accepimus... Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus auctor est Varrus... Itaque hanc moram et sollicitudinem initiis impero: nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus: celeritatem dabit consuetudo, paullatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur, cuncta denique, ut in familia bene constituta, in officio erunt. Summa haec est rei: cito scribendo non fit ut bene scribamus: bene scribendo fit, ut cito* [2]). Tandem in scribendo idem Quintilianus verborum curam, rerum vult esse sollicitudinem: quare sententiis argumentisque maior danda est opera, quam verbo-

1) I. Orat. XXXIII. — 2) Lib. X. c. 3.

rum figurarumque ornamento; praesertim cum hoc studium, si nimium est, ingenii vela cohibeat.

Caput vero in scribendo est *limae labor et mora*, sive diligens et diuturna emendatio: de qua graviter, ut par est, scribit Horatius [1]). Itaque emendatione amputantur superflua, mutantur ambigua frigida obscura, adiiciuntur quae exciderunt sententiae, ordo structura transitiones dicendi ratio perficitur. Quod melius accidet, si scripta aliquandiu relinquamus. *Nec dubium est*, ait Fabius, *optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post intervallum velut nova et aliena redeamus, ne nobis scripta nostra quasi recentes foetus blandiantur* [2]). Emendatio.

Videtur hic locus postulare, ut de auctorum, qui in scholis exponendi sunt, ordine dicamus: quod quidem absolutam studiorum rationem exigit. Sed nos aliquid saltem attingemus, si duo primum ut certissima teneantur: alterum, quamlibet studendi methodum a tenuibus ad graviora, a facilioribus ad difficiliora progredi debere: alterum non omnia adolescentibus proponenda esse, sed quae sunt optima, eademque cum delectu et probatissima: digna enim esse debent, quae diu multumque una, ut par est, versentur. Regulae duae in auctoribus versandis.

Itaque ex Graecis prior Aesopus et Babrius; deinde Luciani dialogi, et Xenophontis Cyropaedia; tum oratores, imprimisque Demosthenes, sunt versandi: quibus coniungendi Poëtae, Anacreon, Epigrammatum Anthologia, Theocritus, Homerus, Pindarus: ad extremum Dramatici et Historici, nec praetereundi Patres graeci, qui tanta eloquentia floruerunt. Ex Latinis prior esse potest Phaedrus, qui orationi fere accedit; tum Cornelius, Epistolae Ciceronis, Caesar, eiusdem Ciceronis Officia, et Orationes, Livius, Sallustius, Tacitus: Poëtae autem sic versentur, ut primus sit Ovidius, qui forte diu est legendus, tum Tibullus, Propertius, Catullus, Virgilius, Horatius, Terentius, Plautus. Reliqui Historici et Poëtae proponendi cum delectu et iudicio. Immorandum vero plurimum, ne dicam solum, in Tullio, Virgilio, et Livio. Ordo quo sunt versandi Graeci. Latini.

Tandem ut de Italis loquar, nemo est, qui, si sapiat, non praeponat adolescentibus scriptores primum seculi XIV imprimisque Concordium, Passavanti, Cavalca, Pandolfini: tum praeci- Itali.

1) A. v. 288 ad finem. — 2) Lib. X. c. 4.

puos seculi XVI auctores, Caro, Firenzuola, Casa, Giambullari, Guicciardini, aliosque similes, quos inter Segneri, Pallavicino, Bartoli. Ad poëtas quod pertinet, fere solum Aligherius, Petrarca, Ariostus et Tassus sunt adolescentibus praeponendi, iique electis primum et purgatis locis: accedet postea Chiabrera et Filicaia: tum aliqua poëmatum recentiorum, quae videbuntur optima.

§ V.

De Imitatione

Quid proprie est imitatio?

Quemadmodum qui Romantici vocantur nullam rem acrius quam imitationem insectantur; ita qui habentur Classici nihil interdum defendunt remissius. Praecipua huius rei causa in eo est, quod imitationis naturam non omnes assequuntur: plerique enim exscribere idem esse putant ac imitari, et utriusque proprietates ac leges permiscent. Sed exscribere est rem eamdem ex proposito exemplari iisdem coloribus pingere aut verbis efferre; ita ut accuratum exemplum habeatur: imitari autem est uno vel pluribus propositis exemplaribus, ex acquisitis pulchritudinis formis et ex optima exemplarium specie aliquid propriò ingenio et marte conari; ita ut non modo nusquam pateat exemplum, sed ea etiam sola existat similitudo, quae vix summis hominibus sit conspicua.

Quid exscribere, quid imitari?

Necessitas imitandi.

Si ita intelligatur imitatio, non solum est probabilis, sed utilis imprimis et necessaria. Nam quae imitari possumus, vel ex natura vel ex auctoribus petuntur. Quis autem non videt quamlibet artem in eo esse, ut quae praeclara sunt in rerum hominumque natura eligat et componat; ut quidquam, origine tantum naturale, repraesentans, iis, quos natura ipsa gigneret, similes effectus proferat? Ex natura enim res, cogitationes, imagines, mores, affectus, ornamenta omnia, atque ipsa ars, qua late patet, est ducenda, si quid proficere scribendo volumus. Quare scriptoribus et auctoribus omnibus nihil unquam saepius et vehementius, quam diligens naturae et hominum studium, commendatur: qui vero naturam melius sunt commentati, ut Homerus et Aligherius, maxime praestiterunt.

Quae curanda in imitatione?

Quoniam pulchrum, licet natura idem semper sit, multam tamen varietatem ex regionum ex hominum ex morum ex tem-

porum conditione nanciscitur; harum rerum omnium praecipua ubique ratio habenda est. Pleraque igitur, quae in Achille sunt optima, in Guitfrido essent vitiosa, et contra: neque aliud magis quam hoc iudicium Aligherium nostrum supra ceteros poetas extulit: qui tamen et ipse forte minus etiam mythologiae indulgere debuit. Sed de mythologiae usu jam plurima ubique traduntur [1]).

Auctorum imitatio duplex. Imitatio artis.

In auctoribus vel artem vel res imitari possumus. Ars certis quibusdam operum legibus continetur: huiusmodi vero leges ab ipsa natura ducuntur: propterea nullo modo contemni possunt. Sed cum natura varios agendi modos in quibusdam sequitur, variae quoque sunt interdum leges: quare ii, qui veterum scriptorum leges sequi nolunt, in quibusdam recte id facere queunt, in plerisque omnino falluntur: nam saepe naturalis operis ratio vel una est, vel certe una est aliis longe melior. Qui vero omnes veterum leges ad arbitrium confictas existimant, nae hi quidem nimis sapiunt: quod quidem patet ex operum prodigiis, quae, neglectis veterum regulis, nonnulli temporibus nostris submiserunt. Quis autem nescit artes et scientias omnes, ut opimas hereditates, longo temporum intervallo et sedulo multorum hominum cultura crescere augeri perfici?

Imitatio modi.

Ad res quod attinet, ex illustrium auctorum exemplaribus non res ipsas, sed optimum imprimis naturam imitandi modum opportune ad rem nostram exprimemus: nam nullus auctor, sed sola natura imitationis exemplar esse debet. Itaque in auctoribus artem imitandi naturam diu multumque commentabimur, eamdemque ad institutum nostrum, prout rerum personarum et locorum conditio postulabit, apposite deducemus. Huius imitationis exemplum est in Homero, qui equi descriptionem fere videtur imitatus ex Iobi libro, ubi equus, ut ait Caussinius tam audaci ingenio describitur [2]).

Huius imitationis exemplum.

Numquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? — Numquid suscitabis eum quasi locustas? Gloria narium eius terror. — Terram ungula fodit, exsultat audacter; in occursum pergit armatis; — Contemnit pavorem, nec cedit gladio. — Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. — Fervens et fremens sorbet terram, nec

1) V. *Gherardini*, Elem. di Poes. Part. I. c. 6. — *A. Manzoni*, Romant. in Italia. — 2) V. *Caus.* De Eloq. lib. XV.

reputat tubae sonare clangorem.—Ubi audierit buccinam, dicit: Vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatus exercitus [1]).

Ω's δ'ὅτε τις στατός ἵππος, ἀκοστήσας ἐπί φάτνῃ,
Δεσμόν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,
Κυδιόων. ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ω῎μοις ʼαΐσσονται. ὁ δ'ἀγλαΐηφι πεποιθὼς
Ρ'ίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετὰ τ'ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων [2])

Eiusdem iudicium.

Iam etiamsi Homerus Iobi librum forte cognoverit, suo tamen obsecutus est ingenio; ut uterque scriptor solam naturam videatur contemplatus. Atque haec est vera imitandi ratio. Sed eamdem equi descriptionem non imitari, at exscribere videntur Virgilius ex Homero, ex utroque Torquatus a).

Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus, armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque iubae per colla per armos [3]).

Sapientia Aligherii in imitando.

Sed optimae imitationis auctor extitit Aligherius,qui, quamquam aperte profitetur se Virgilii imitatorem esse [4]); tamen fere nemo imitationem advertit:quod non fit semper in Torquato, qui plus auctores,quam naturam secutus identidem apparet.At Aligherius proprietates illas,quae cuiuslibet scribendi generis possunt esse communes ex Virgilio exprimens, cetera omnia ex natura hausit,et suorum temporum moribus ac verae religioni,quod praeclare fecit idem Torquatus, accommodavit : ita ut novae omnino imagines propriis coloribus expressae existerent.Hinc est quod illa ipsa loca, quae apertius ex Virgilio ducuntur, nullo modo dici possunt exscripta: ut Acherontis et Charontis descri-

1) Iob, cap. XXXIX.—2) Hom. Iliad. VI. v. 506.—3) Aen. XI. v. 492.—4) Inf. I. v. 79.

a) Come destrier che dalle regie stalle,
Ove all'uso dell'armi si riserba.... G. IX. 75.

ptio [1]), serpentium implicatio [2]), homines in arborum formam mutati [3]).

Ex postremis Aligherii exemplis patet alia imitandi ratio, qua res ipsas auctorum exprimimus; sed ita tamen ut non pueriliter imitari, verum sapienter aemulari videamur: quare plurimum celebratur Pyladis et Orestis fabula, quam Ariostus in Rogerio et Leone, Torquatus in Olyndo et Sophronia ex Tullio *De Amicitia* expressit [4]). Nec vero hac in re audiendi sunt nimium critici: nam si ad vivum res semper resecentur, cum probati auctores optima quaeque naturae iam selegerint atque praeclare tractaverint, vel nihil amplius pulchri possemus conari, vel deteriora quaelibet deberemus persequi, vel nostros contemnentes, transalpinos, uti iam multi faciunt, non sine dedecore imitari. Verum intemperantis critices non movebimur iudicio, et quod praeclari viri fecerunt, id nobis etiam licere', quatenus venia dari potest, arbitrabimur. Etsi enim plurima in Terentio, Virgilio, Ariosto, Tasso, ceterisque poetis et scriptoribus non sint nisi priorum scriptorum pene exempla; auctores tamen illi, etiam inventa aesthetica, suo semper sunt in pretio, sedulo ab omnibus versantur studio, magna novaque in dies admiratione et delectatione leguntur: siquidem qui legunt, non unde res petantur, sed quam pulchrae sint, quam belle expressae, considerant; praesertim cum in iis ipsis, quae aliunde ducuntur, novi aliquid et pulcherrimi semper accedit. Quare hoc imitationis genus, quod res ipsas ex auctoribus interdum exprimit, non respuemus, sed ad prioris imitationis rationem textu, forma, dictione, ceterisque artis subsidiis quam proxime revocabimus [5]). Qua in re cavendum tamen, ne, dum melius aliquid conamur, ruamus in peius: quod saepe accidit Lucano et Senecae.

Quae rerum imitatio probanda?

Critices intemperantia.

Sunt qui varios imitandi modos aliter tradunt [6]). Sed illa vix ad exercitium stili pueros iuvant: atque hac ipsa in re minuta quaeque praecepta obsunt potius quam prosunt discipulis: adimunt enim excogitandi libertatem, et ingenium quibusdam veluti catenis coercent. Audeant aliquid suo marte etiam adolescentes, quod postea magistri iudicio temperent vel corrigant:

Aliae imitandi rationes.

1) Aen. VI. v. 295. *Inf.* III. v. 76.—2) Aen. II. 203. *Inf.* XXV. v. 49.—3) Aen. III. 22. *Inf.* XIII. v. 16.—4) V. *Pallav.* Stile, cap. XI. e segg. *Gherardini*, P. I. c. 4. — 5) V. *Caussini*, lib. III. c. IX. et seqq.—6) V. *De Colonia*, Elem. Rhet. De Imitat.

Par est enim, inquit Tullius, *omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt* [1]).

Quid de imitatione Fabius?

Ego, ut de auctorum imitatione certum aliquid teneatur, Fabii praecepta ante oculos haberi velim: imitationem utilem esse ac necessariam; sed ante omnia per se ipsam non sufficere; quia pigri est ingenii contentum esse alienis inventis. Turpe etiam illud, satis habere id consequi, quod imiteris: nihil enim crescit sola imitatione; cum tamen in iis quoque, qui maximi habentur, nemo est, in quo nihil aut desideretur aut reprehendatur. Etiam qui summa non appetunt, contendere potius, quam sequi debent: necesse est enim semper sit posterior qui sequitur. Adde quod plerumque facilius est plus facere, quam idem: adde quod quidquid alteri simile est, necesse est minus sit eo, quod imitatur: adde quod ea, quae in auctore maxima sunt, imitabilia non sunt, ut ingenium, inventio, vis, facilitas, et quidquid arte non traditur. Exactissimo igitur iudicio examinanda sunt omnia: ac primum quos imitemur; deinde in ipsis, quos elegerimus, quid sit imitatione dignum: tandem quatenus imitari liceat [2]).

1) Orat. I.—2) V. *Quint.* Instit. Lib. X. c. 2.

PARTITIO ALTERA

De Scriptis Didascalicis

Nemo profecto mirabitur nos non a re oratoria, ut plerique solent, sed a didascalica dicendi praecepta aggredi. Hominis enim facultatum ordinem secuti, scribendi genera, quae ad mentem pertinent, primum complectimur. Quamquam vero oratoria eloquentia ceteris dicendi generibus gravitate et dignitate longe praestat; plurimi tamen facienda sunt etiam reliqua genera, quae magna hominum utilitate et familiari vel frequenti usu celebrantur. Cuiusmodi sunt praecipue scripta didascalica, quae ad mentem cognitione augendam propriis regulis principiisve certaque methodo scribuntur. Nec solum artes omnes scientiaeque; sed descripta professionis aut muneris iudicia vel sententiae, multa forensis, plura etiam sacrae eloquentiae capita, pene omnes academicae lucubrationes, et infinitae rerum eruditiones, aut tractationes hoc uno dicendi charactere efferuntur. Quarum rerum oratio, ut concinne ut diserte ut ornate ut graviter, prout cuiusque rei natura postulat, feratur, ab ea eloquentiae partitione, de qua iam egimus, fere omnia mutuatur. Nec nimis audiendus est Antonius, cum apud Tullium disputat, oratoris esse proprium diserte dicere, idque si quis in alia arte faciat, assumpto alicunde uti bono, non proprio nec suo [1]). Ut ut enim hoc verum sit, oratoriae facultatis praecepta, in quibus veteres fere solum sunt versati, ad artes quaslibet scientiasque posse accommodari; propriae tamen ad hanc rem explicandae sunt leges. Quare primum generatim aliquid, deinde etiam singillatim de scriptis didascalicis dicemus. Quoniam vero epistolae cum ad docendi formam usurpantur, tum maxime ob certam stili similitudinem ad scripta didascalica proxime accedunt, de epistolis etiam in hac partione institutum est agere.

Praeceptorum hac in re necessitas.

Quae hoc genere continentur?

Non sufficiunt praecepta generalia.

1) Cic. II Orat. IX.

CAPUT I.

DE RE DIDASCALICA GENERATIM

Huc pertinent artes et scientiae.

Ea sunt praecipue scripta didascalica, quae ad artes aut scientias vel per certa praecepta vel per causarum cognitionem addiscendas exarantur: ut grammatica, ut rhetorica, ut poëtica, philosophia, theologia universa, civiles facultates, omnesque urbanorum rusticorumque hominum disciplinae. Quare de his omnibus rebus praecepta tradere alienum a re nostra videri debet: singulae enim artes scientiaeque certas habent leges, et propria principia, quae a rei cuiusque natura ducuntur, nec diserte explicari possunt, nisi ab iis, qui easdem artes vel scientias profitentur. Sed in qualibet arte aut scientia, licet una sit rerum materies et ad proprios auctores spectet; duplex nihilominus est forma: alia certis artis scientiaeve legibus temperatur: alia communibus scribendi regulis subiicitur. Item modus docendi seu stili ratio partim ex ipsis disciplinis, partim ex universa dicendi arte praesertim existit. Quare ad ipsas artes et scientias Rhetoris officium extenditur: nam quicumque alios instruere curat, rerum delectu, ordine, methodo et accommodo dicendi genere attentos animos detinere et suaviter informare debet: quod in bene dicendi facultate continetur. Hac in re totus est aureus de stilo tractatus Sfortiae Pallavicini, qui contra adfectatam quarumdam scholarum barbariem strenue pugnavit a). Nos itaque de docendi arte tum formam seu dispositionem, quantum ad nos attinet, universim attingemus, tum stili rationem. Sed primum de materia ipsa, quae a forma et stilo nequit omnino separari, pauca saltem libabimus.

Rhetoris officium his in rebus.

a) Lo stile era un'arte a lui cara molto, e molto studiata; e però nel medesimo tempo aveva condotta una bellissima operetta, che intitolò *Trattato dello stile e del dialogo*: nella quale non meno da sottile filosofo, che da esperto rettorico, si propose d'insegnare quale forma di scrivere specialmente convenisse alle materie scientifiche: e dimostrolle capaci di venustà e di eleganza, ed affatto escluse la barbarie da lui chiamata *incivile*, che adoperavano gli scolastici. *P. Giordani*, Disc. sulla vita e sulle opere del C. Sf. Pallavicino.

§ 1.

De materia Rei Didascalicae

Optima rei omnis litterariae divisio a Bacone traditur [1]: omnem enim rerum humanarum cognitionem in tres partes ita distribuit, ut omnes artes et scientiae, quia praecipuas hominis facultates, memoriam scilicet, vim imaginandi, et mentem spectant, ad Historiam Poësim et Philosophiam commode revocari possint. Sed huiusmodi divisio, ut ut praeclara, ad rem nostram hic minus facit: commodior est ineunda. Itaque omnis humana doctrina in arte vel scientia posita est. Artes vero aut serviles sunt, ut sutrina, ut fabrica, ut argentaria, ut alia: aut liberales, ut grammatica, ut rhetorica, ut poëtica, ut musica, ut pictura, ut eae omnes, quae ab ingenuis hominibus exercentur. Qua in re illud animadvertere libet: non omnes liberales dici etiam pulchriores: quinque enim proprie pulchriores habentur; Poësis scilicet, Pictura, Sculptura, Architectura, Musice. Quibus aliqui adiiciunt cum chorearum tum hortos disponendi artem: in his enim quoque inest pulchritudo.

Rei litterariae divisio.

Partitio Artium.

Artes Pulchriores.

Scientiarum aliae sunt profanae, aliae sacrae. Profanae mathesi, physica, et philosophia imprimis constant: sed ex mathesi et physica existunt mechanica, hydraulica, nautica, acustica, optica, astronomia: cum ipsa physica arcto vinculo coniunguntur Botanice, Zoologia, Mineralogia, Geologia, alia: tum chemia, anatomia, medicina, chirurgia, et quae harum scientiarum sunt partes. Philosophia in Logicam, Metaphysicam, et Morum Scientiam optime dividitur: hinc autem sunt Ethice, varia iuris genera, oeconomia, politice. Sacris scientiis continentur Theologia, Sacra Biblia, Ius Canonicum, et Historia Ecclesiastica. Sed Sacra Biblia Hermeneutica et Exegetica explicantur: Theologia vero alia est Dogmatica, alia Polemica, alia Scholastica, alia Moralis, alia Mystica. Atque haec haberi debet praecipua solum artium scientiarumque divisio: nam extant etiam cum aliae divisiones, tum alia atque alia de artibus scientiisque scripta.

Scientiae Profanae.

Scientiae Sacrae.

Iam vero qui in arte vel scientia aliqua prodenda laborat, illud primum sibi proponat, novum aliquid, idque admodum u-

Novi aliquid afferendum.

1) De dign. et augm. scient. Lib. II cap. 1.

tile, ab ipso expectari: ad hoc itaque ingenium, vires, industriam omnem admoveat. Quare ipsam artis vel scientiae materiam, quanta est, diu multumque animo reputet, quaeratque quid sit illa, quid esse debeat, quid boni desit, quid sit in eadem minus perfectum. Enimvero omnes artes scientiaeque ut propriam materiam certumque finem iam habent; ita certis legibus, clarisque principiis iam temperantur: ex quo fit, ut difficile sit, in tanta rerum cognitione, novam artem aut disciplinam de integro proferre. Sed tamen artes atque scientiae, quaecumque sint, ut multorum hominum observatione et studio nascuntur, omniumque aetatum sunt veluti patrimonium; sic novis in dies incrementis continenter perfici possunt. Quamquam igitur plurimam artium scientiarumque materiem, tum multas leges ac rerum principia ab aliis nos mutuari oportet; plura tamen ex proprio afferre debemus. Praeterea in ipsa artis scientiaeve natura explicanda, in materie proferenda, in vestigandis causis, in consequentibus cernendis, in legibus ipsis et principiis, qua examinandis vel exponendis, qua perficiendis vel emendandis, quot adhuc diligenti et praestantis ingenii scriptori vel invenienda vel in meliorem formam probatamque adornanda relinquuntur? Itaque si nihil aliud moliri possumus, haec saltem, quae modo diximus, nova aggrediamur artium scientiarumque argumenta. Legendi quidem sunt optimi quique in aliqua re auctores: sed omnino necesse est, ut adscita ab aliis materia, marte proprio propriisque accessionibus artes scientiasque augeamus.

Quid illud novi erit?

Veritatis indagatio.

Ut autem officium nostrum praestemus, omnem curam in indagatione et inventione veri collocabimus. Qui enim maxime perspicit quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et accuratissime potest rerum rationem et videre et explicare, is artes et scientias rite excolere atque augere solet. Sed indagatio veri non solum diuturna mentis commentatione, verum naturae etiam notatione et animadversione, tum rerum usu, experientia, historia perficitur. *Quo in genere et naturali et honesto*, ut cum Tullio loquar, *duo vitia vitanda sunt: unum ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur: quod vitium effugere qui volet(omnes autem velle debent)adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque*

Vitia in hoc fugienda.

non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium audivimus: in geometria Sex. Pompeium ipsi cognovimus: multos in dialecticis, plures in iure civili [1]).

Cum magnam rerum materiem diligenti et assiduo studio comparavimus, tunc opus est delectu. Delectus vero apparebit primum in materie tractanda, quae sit viribus aequa, et communi bono idonea: valet enim hic maxime illud: *Nisi utile est quod facimus, inanis est gloria.* Erit autem materies utilis, si non solum ad artes vel scientias addiscendas faciat, sed, uti iam monuimus, vel sit nova vel novis incrementis aucta, vel certe quae elegantiori forma proposita magni momenti commoda prae se ferat. Magnus etiam delectus adhibendus est in rerum inventarum usu: ita ut cum plurima inventionis methodo excogitaverimus, ea denique solum proponamus, quae ad peculiarem cuiusque tractationis finem cum perfectius tum etiam facilius conducant. Nec vero minori utemur diligentia ut cum investigaverimus ea praecepta vel principia, quae et ab ipsa natura proficiscantur et fecundiora sint, eam adornemus methodum, qua hominum mentes maiori temporis compendio et pleniori rerum cognitione imbuantur. Delectus triplex.

§ II.

De Rei Didascalicae Dispositione

In rei didascalicae dispositione duo potissimum considerantur: ipse nimirum rerum ordo, et opportuna explicandi ratio, seu methodus. Quae duo ex ipsa artis vel scientiae, quae traditur, natura constituuntur. Ars proprie in cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus ac nunquam fallentibus rebus seu praeceptis consistit [2]). Scientia vero est rerum per causas, quibus eaedem res continentur, perspicua cognitio. Quid Ars? Quid Scientia?

Iam vero, ad ordinem quod spectat, rerum series easdem fere, quas oratio, habet partes, sed longe diversas. Atque in primis exordii loco erit prooemium, quod, ut ipsa vox sonat, viam ad rem totam parare debet: quare et ipsum didascalicum esse Prooemium.

1) Cic. I. Off. VI. — 2) Cic. I. Orat. XX.

oportet, nimirum ad erudiendum utile. Veteres propterea cum ipsa tractatione procemium coniungebant. Quod exemplum si sequi nolumus, ea saltem praefabimur, quae et ad rem sunt, et lectorum animum nobis vel potius operi nostro concilient. Qua in re cavenda sunt communia vitia: superbe enim faciunt et sani iudicii paupertatem produnt, qui operam suam extollunt: inurbane etiam, qui ut seipsos venditent, egregios quosque auctores, quos fortasse ne legerunt quidem, inducto supercilio reprehendunt vel contemnunt. Infimorum enim hominum est inverecundo optimorum contemptu velle clarescere.

Prooemii vitia.

Sequitur Definitio.

Prooemium excipit rei definitio: nam cum in arte tum in scientia rei primum, de qua agitur, natura est explicanda: quod fit accurata definitione. ***Omnis enim,*** inquit Tullius, ***quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur*** [1]). Atque in re didascalica maior etiam cura adhibenda est, ut res quam optime definiamus. Nam ex definitione, quae rei naturam explicat, institutionis gravitas, finis, partes, leges, methodus, et alia sunt cognoscenda.

Variae definitiones.

Iam definitionum aliae verbi significationem nunc ex etymo vestigant, ut virtus est a viro; nunc ex industria determinant, ut Dei nomine primum rerum omnium principium intelligo: aliae rei ipsius naturam et proprietates explicant, ac philosophicae vel descriptivae sunt. Philosophicae rem exponunt per principia eiusdem rei naturam constituentia: principia vero aut metaphysica sunt, seu quae genere et differentia constant, ut homo est animal ratione pollens; aut physica, seu quae naturam ipsam physice conflant, ut homo est compositum quoddam corpore ***organico***, ut aiunt, et anima intelligenti instructum. Descriptivae definitiones ex rei proprietatibus adiunctisque rem ipsam explicant, et a ceteris omnibus secernunt, ut: ***Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum est a summo Deo*** [2]).

Rebus omnibus conveniunt.

Haec definitionum genera cum artibus omnibus scientiisque, tum virtutibus etiam vitiisque varie accommodantur, nec ulla res est, quae aliqua definitione circumscribi et determinari non possit: nam, ut vel de proprietatibus taceam, qualibet in re

1) Cic. I. Off. II. V. Orat. XXXIII. — 2) Cic. lib. I. De Leg. VII.

semper est aliud quod generis vim, aliud quod speciei seu differentiae rationem habeat, ut in probatis iam rerum definitionibus videre est. Definitionis autem leges sunt: ut definitio re definita sit clarior; ut genere proximo et differentia ultima, vel rebus, quae generi et differentiae aequivaleant, constet; ut cum re definita mutuo converti possit; ut nihil redundans habeat, nihil desideret; ut rem, qua parte haec definitur; minime complectatur; ut brevis sit, et quae facile mente teneatur.

Definitionis leges.

Ex ipsa rei natura per definitionem explicata cuiusque rei tradendae finis constituitur. Finis dicitur id, cuius gratia aliquid fit: eius vero divisiones sunt primo in ultimum, proximum, et intermedium; deinde in praecipuum et secundarium; tertio in finem, *qui* appetitur, et finem *cui* appetitur; tandem in finem *operis* et finem *operantis*. Ex rei porro natura et fine cognoscitur rei ipsius utilitas et gravitas: quae duo primum in qualibet re didascalica diserte, si causa postulat, sunt explicanda.

Finis, qui est varius.

Cum rei natura eiusque gravitas iam clare patet, tunc rem totam in suas partes distribuemus: partes autem ipsae iterum definiendae sunt, iterum distribuendae et explicandae, donec institutio omnis absolvitur. Nam quaelibet institutio definitionibus potissimum divisionibus et explicationibus componitur, et propria forma atque unitate donatur. Ut autem divisiones optime fiant tenendum est eas non ingenii voluptate, sed necessitatis ac perspicuitatis gratia solum fieri, et ex ipsa re nasci debere: cum enim rem totam saepe uno intuitu distincte percipere ac tenere non possumus, illam in proprias partes accurate dividimus, ut mentis humanae imbecillitati, et plenae rei cognitioni consulamus. Id tanti faciebat Plato, ut in Phaedro diceret: ***Si nactus fuero ducem qui recte partiri sciat, eius ego vestigia tamquam Dei cuiusdam sequar.*** Divisionis regulae sunt; ut sit clara et brevis; ut membra invicem omnino separet; ut eas partes consectetur, quae et fere aequae sint, et rem divisam totam comprehendant, expleantque.

Partium distributio.

Eius utilitas et leges.

Sequitur proxima partium dispositio, sive ordo et textus cuiusque institutionis, quicum explicandi methodo una continetur. Explicandi autem methodus duplex est: aut enim a partium notitia ad totius cognitionem, et ab universis ad particularia procedimus; aut contra a singularibus ad generales notiones, et a composito ad eius partes ascendimus. Prior ratio, in qua mens rem veluti componit, dicta est synthetica: altera in qua mens

Partium dispositio.

Methodus duplex.

resolvit, appellatur analytica. Utraque methodus utilis est ad docendum: sed quoniam analytica propria est *inventionis*, synthetica *doctrinae*, hac potissimum in docendo adhiberi solet: quamquam nemo potest ita alterutram adamare, ut aliam prorsus excludat.

Ordo partium.

Verum haec alii subtilius disputent: nos, quacumque tandem methodo utamur, si maiorem perspicuitatem rebus afferre volumus, eam partium dispositionem eligemus, in qua vel pars una ab altera nascatur, vel partes eodem, quo rem componunt aut gignunt, ordine explicentur. Nec vero semper contemnenda est illa partium distributio, in qua vel facilitatis vel dignitatis ratio habeatur. Quaecumque autem sit partium dispositio, illum perpetuo ordinem ac nexum servabimus, quo res auditorum animis et se insinuent suavius, et tenacius haereant. Ad hoc necesse etiam est tum ut res una ex altera apte nectatur, tum ut a facilioribus imprimis et generalioribus praeceptis aut principiis iam constitutis ad rem totam aperiendam firmandam atque illustrandam paullatim deveniamus.

Tractationis exitus.

Tractationem omnem claudet vel ipse rei, de qua agitur, exitus finisque; vel ad summum rerum epilogus, in quo veluti unico intuitu ea omnia, quae tradita sunt, conspiciantur. Sed solent esse speciosiores etiam clausulae, ut illa Tullii: ***Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum: sed perinde erit, ut acceperis. Quamquam tibi hi tres libri, inter Cratippi commentarios, tamquam hospites, erunt recipiendi. Sed ut, si ipse venissem Athenas (quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara voce patria revocasset) aliquando me quoque audires, sic quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues his temporis quantum poteris: poteris autem, quantum voles. Cum vero intellexero, te hoc scientiae genere gaudere, tum et praesens tecum propediem (ut spero) et, dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade, esse quidem te mihi carissimum; sed multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere*** [1]).

1) Cic. III. Offic.

§ III.

De stili ratione in re didascalica

Τεχνικόν seu philosophicum, ut aiunt, dicendi genus nudam proponere debet veritatem, eamque certis rationibus accurate confirmare: nec tamen omnem stili gratiam respuit. Non solum enim maxima perspicuitate, multa facilitate, et accommoda brevitate illud nitere oportet; sed sobria quadam urbanitate, et occulta elegantia temperari. Non unus autem est stilus in scriptis didascalicis; sed diversus pro rerum atque auditorum diversitate. Nam alius est servilium artium stilus, alius liberalium: tum alius scientiarum, alius earum rerum, quae ad morum sanctitatem a viris doctrina et pietate praestantibus traduntur. Stilus in docendo.

Iam vero serviles artes, non dico solum fabricam aut pistoriam, sed ipsam agriculturam et pastoriciam, quae saepe ab ingenuis hominibus praeceptis exponi solent, unam illam sed praecipuam optime erudiendi virtutem exposcunt; ut nimirum sententiae sint accuratae, verba maxime propria, dicendi modi usitatiores. Nam huiusmodi artes si paullo ornatius tradantur, auctor non ad instruendum sed ad delectandum potius scribere videbitur. Neque enim si Hesiodo et Virgilio ob carminis naturam plurima ornandi gratia largimur, continuo idipsum in pedestri artium oratione probabitur; cum in ipsis liberalibus artibus scientiisque ut foeda quorundam negligentia est culpanda, sic reprehendenda etiam aliorum affectatio, et turgidi vel nimium ornati stili genus [1]. Stilus artium servilium.

Sed artes liberales seu politiores, ut grammatica, ut rhetorica, ut poëtica, ut musica, ut pictura, ut cetera, duplici ratione tradi possunt: vel ut adolescentibus in scholis explicentur a magistro; vel ut a provectioribus viris publice aut privatim legantur. Quae in scholis a magistro sunt explicandae, concisum potius stilum postulant: ut et a discipulis, quorum ingenium acuant, facilius retineantur, et magistris ipsis longe lateque res exponendi occasionem praebeant. Itaque haec scripta, praeter breve aliquod exemplum aut similitudinem, omnem ornatum respuunt, verborum proprietate et ingenuo quodam dicendi ni- Stilus artium liberalium.

1) V. *B. Puoti*, Arte di scrivere in prosa, vol. III. Prol. § IV.

Quae figurae et ornamenta? tore contenta. Sed si legenda aut audienda tantum proponantur, tum elegantiorem etiam stilum admittunt, communes et tenuiores methaphoras usurpant, ornantur figuris, quae rerum veritati respondere possint, neque semper reiiciunt amplificationem, quae sit omnino gravis solum rei adfirmatio. Quin et graphicae quaedam descriptiones et appositae in loco digressiones lectorum vel auditorum animos allicere ac erigere solent. Praecipua vero in docendi genere ornamenta, quae et delectationem afferant, et utilitatem, sunt varia ex historiis deprompta exempla, aptae similtudines, et solertes peculiaris rerum, quae traduntur, usus explicationes. Haec enim cum tractationem grata quadam varietate distinguunt, tum et mentem recreant et saepe ipsis demonstrationibus sunt potiora. Ioci etiam et facetiae solent usurpari: sed tenendum imprimis quid deceat.

Scientiarum stilus. De scientiarum stilo facienda est eadem distinctio, quam in politioribus et ingenuis artibus nuper proposuimus, atque sua cuique parti stili ratio tribuenda: nimirum ut quae in scholis sunt praelegenda perspicue et proprie sed breviter; quae vero sunt versanda privatim, diserte etiam et, quantum deceat, ornate scribantur. Hoc unum alteri membro adiungendum videtur; ut in politioribus artibus venustas, in scientiis gravitas praesertim eluceat. Quae gravitas et temperatum stili cultum et verborum proprietatem ac urbanos et civiles dicendi modos maxime admittit. Neque enim adhuc sunt ea tempora, quibus stili negligentia et verborum barbaries adfectabantur. Nam putabant aliqui graviores disciplinas stili cultu vilescere! quod quam falsum sit, nemo est qui non videat. Multa et praeclara de hac re scribit Pallavicinus, qui legendus est. [1]) Ego brevius Heineccii sententiam nunc recitabo: *Cave ergo existimes, docentium esse, stilo sicco et barbaro uti. Non magis hic character docentes decet, quam philosophum pallium et pera Diogenis. Non unguenta redolent viri sapientes, sed nec sordes amant. Non ferendi ergo in tanta litterarum luce, qui in theologicis vel philosophicis doctrinis tradendis, latinae linguae puritate atque elegantia omnino neglecta, barbaro atque exotico stilo utuntur. Docuerunt sane quamplurimi nostrorum temporum posse de rebus etiam theologicis puro ac terso orationis genere disseri. Feliciter idem iurisprudentiam tentarunt Cuiaci, Bris-*

Heineccii sententia.

1) V. Trat. dello Stile e dialogo. cap. XXVI e segg.

sonii, Hotomani, qui Ulpianum et Papinianum, quam Iasonem vel Accurtium maluerunt imitari. Medicos Celsus purius scribere docuit, philosophiam pene innumeri elegantissime pertractarunt. Quis ergo hodie in tanta litterarum luce umbratiles doctores imitaretur, et fruge reperta, glandibus vesci mallet? [1]).

Multa praecipi solent de usu metaphorarum in scientiis tradendis vel pertractandis. Nos tamen tria haec potissimum servabimus: ut, cum rerum naturam et proprietates explicabimus, omnia quam maxime proprie efferamus: accuratae enim rerum intelligentiae saepe ob similitudinem nocere potest metaphora. Cum ceteras tractationis partes exponemus, nulli nobis erit religioni metaphoras temperate adhibere, imo ipsas figuras, quae solum mentem acuant: nam, ubi prius rerum natura perspicue est constituta, nullum fere est errandi periculum. Cum vero de scientiis, quae mores spectant, agitur, vel religiosae civilesque sunt, metaphorarum figurarumque plusculum indulgebimus ornamentis: nam in moribus et in rebus religiosis aut civilibus cum ipsa verba maxime accommoda ex metaphoris saepe ducuntur, tum rebus sensilibus sunt erudiendi et retinendi animi. Metaphorarum usus

Optima docendi ratione inter Graecos praestiterunt Xenophon, Plato, Aristoteles, Theophrastus: tum Plutarchus, Epictetus, Longinus. Ex Latinis laudantur maxime Tullius, Vitruvius, Celsus, Columella, Plinius, Seneca, Quintilianus: sed Tullius, si libros de Officiis et Topica ad Trebatium ac oratorias partitiones excipias, oratoriis modis nimis fortasse indulget: Seneca autem adfectatione, obscuritate, plurimisque suorum temporum vitiis laborat: Plinius ipse nec puro stilo nec nativa et minime turgida dicendi ratione semper commendatur. De vulgari eloquentia in re didascalica, ne alios sine certo doctiorum iudicio commemorem, [2]) optime meriti sunt Bembus, et Casa: sed probantur Galilaeus, Pallavicinus, Redius, Magalotti, Algarotti, Bonafede, tum Tiraboschi et Spallanzani: Segnerius vero in scriptis etiam didascalicis, sapientorum iudicio, nulli est secundus. Auctores optimi.

Quae ad morum religionisque informationem pertinent, dum pure proprie et emendate scribantur, indita rerum gravitate se Morum ac religionis libri.

1) Fund. St. P. I. c. 2. n. LVI.
2) V. *Ranalli*, Amm. lib. I. c. 2. n. 13. e segg.

ipsa commendant: a stili luxu maxime abhorrent, quippe quae naturali pulchritudine, virtutis propria, adornantur: elegantiae studium, nedum adfectationem, omnino aversantur. Qui enim res huiusmodi graviter et decore tractant, unice student, ut rerum ipsarum utilitate et dignitate hominum animis se insinuent, intimosque cordium recessus penetrent: quod non fit nisi quadam caelitus infusa sapientia, qua illi informantur, qui doctrina simul et pietate praestant. Verum quemadmodum non sunt quaerendi stili flores, sic non contemnendi nativi illi colores, quibus virtus aut vitium describuntur; ut unius amor, alterius odium animis penitus insideant. Figurae autem, metaphorae ac venustiores dicendi rationes tantum adhibeantur, quantum pietatis et virtutis affectum non restinguant, sed inflamment. Nam si hunc affectum libri huiusmodi excitent, omnes rhetoricae flosculos aspernabimur: meliora enim sunt poma aurea in vimineis canistris, quam in vasis aureis poma marcescentia; atque in horto arbor pulchris frondibus vidua sed onusta fructibus pulchrior est, quam arbor ornata foliis sed vacua pomis.

Eorumdem ornamenta

Scriptores probabiles.

Infiniti sunt harum rerum scriptores; quorum plerique divina prorsus doctrina, multi probabili etiam dicendi genere celebrantur. Graeci profecto multo lepore et gratia scribunt: nimis vero delicati sunt, qui nedum sequioris aevi scriptores, sed Hieronymi, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Leonis et Gregorii stilum omnino fastidiunt. In vulgari idiomate scriptores seculi XIV optima ad rem lingua praestant, sed saepe carent methodo, et iusto stilo: multo postea Pallavicinus arte et elegantia scripsit, sed teneram illam virtutis ac pietatis dulcedinem non fovet: Bartolus nimia eruditione et superfluis verborum ornamentis sua opuscula obcaecat: castigatior est Mariani, sed fortasse nimis gravis. Segnerius itaque hac etiam in re principatum sibi vindicat: sed eius etiam stilus magis adhuc temperandus cum aurea seculi XIV simplicitate: tunc enim et teneri quoque affectus magis vigebunt, et minus patebit certa quaedam dicendi severitas: praeterea profanae eruditionis parcior usus esse debet, ac divina oracula nec frequentanda, praesertim latine, nec nimis urgenda, ut interdum in *Manna*.

CAPUT II.

DE RE DIDASCALICA SINGILLATIM

Qui docendi munus suscipiunt, id una e tribus ratione facere solent: vel enim absentes familiari modo alloquuntur; vel quasi praesentes graviori aliquanto sermone instruunt: vel tandem certas personas de aliqua re interrogantes ac disputantes inducunt. Quare iure merito triplicem docendi formam quidam constituerunt: Epistolam nimirum, Tractationem, et Dialogum. Enimvero dialogo primum traditae sunt praeclariores quaeque doctrinae: quam formam in Graecis Plato, in Latinis Tullius maxime dilexerunt: imo optimi italicae linguae auctores, sapientiaque praestantes, ut Galilaeus, ut Pallavicinus, ut Torquatus, Speronius, aliique dialogo sunt delectati. Aristoteles, quamquam ex Platonis schola profectus, quod in rerum omnium scientia faciliori methodo plurimum studeret, tractationem invexit: quae deinde a sapientioribus quoque viris adhibita saepius est, atque hodie fere sola obtinet. Epistola vero etsi eruditis iam viris solum videtur accommoda, plures tamen dialogi et tractationis proprietates complectitur, et ab egregiis scriptoribus ad docendum serius quidem, sed praeclare est usurpata. Verum de Epistolis, uti diximus, mox agemus: hic de Dialogo primum, deinde de Tractatione, tertio de quibusdam scriptis, quae cum tractatione congruunt, sermo erit.

Docendi formae tres.

Dialogus.

Tractatio.

Epistola

§ I.

De Dialogo

Dialogus est fictum inter viros, praesertim celebriores, colloquium, quo vel variae de materia quadam dubia sententiae expenduntur, vel res quaelibet, ut alacrius ornatiusque describatur, scena quadam exponitur. Dicitur autem dialogus a re, de qua agit, Physicus, Philosophicus, Politicus, Moralis, alius: a dicendi vero forma seu ratione Historicus et Comicus. Ille quid inter personas actum sit historice narrat, ut sunt Ciceronis dialogi De Oratore, De Finibus, De Divinatione, aliique: alter sine

Quid dialogus?

Dividitur a re et forma.

scriptoris narratione sermones personarum directa oratione proponit, cuiusmodi sunt dialogi Platonis et Luciani [1].

Utilitas dialogi controversa.

Fuerunt nonnulli, recentioribus praesertim temporibus, qui dialogum ad res tradendas minus aptum existimarent a). Contrariam sententiam amplexus Pallavicinus, illam multis argumentis confirmaverat [2]). Enimvero vel sola admirabilis illa dicendi pulchritudo, quae in Platonis et Tullii dialogis emicat, non modo ad legendos sed ad scribendos etiam dialogos nos allicere deberet. Sed tamen dividenda sententia est: ut dialogus, si vere dialogus est, in subtilioribus quibusdam rebus, quae maxima unitate et perspicuitate vigere debent, atque in adolescentium institutionibus non semper opportunus videatur: cum autem pro doctioribus viris scribitur, et alliciendi ac sublevandi sunt homines, ut ad rem cognoscendam alacriter appellant animum, tum dialogus, qui multa variaque admittit ornamenta, et ipsa actorum contentione plurimum lectores excitat, non solum probetur, sed ceteris etiam dicendi generibus anteponatur.

Quid sentiendum?

Partes dialogi Historici.

Dialogi historici partes sunt: primo Παρασκευή, seu exordium, complectens tum prologum, qui ab ipsa re vel ab adiunctis loci temporis et personarum duci potest, tum narrationem quae viam aperit ad colloquium, et, quae fuerit sermocinandi occasio, significat. Deinde sequetur Ἀγών, seu tractatio, quae ipsum colloquium exponit. Qua in re variae de quaestione sententiae inter personas colloquentes sunt distribuendae, et primae partes ei plerumque deferendae, qui opinionem vel vulgarem vel paullo absurdiorem defendit: tum alter respondet, qui prioris argumenta partim probans, partim refellens, quid sibi videatur, proponit. Idem faciant reliquae personae, si plures sint: solent enim vel confirmare vel dividere et explicare sententiam. Potest autem accedere veluti arbitrer, qui totam litem componat. Tandem Ἐπίλογος, qui ut plurimum brevissimus

1) V. Cic. *De Amic.* prooem. — 2) V. *Pallav.* Trat. dello stile e dialogo cap. XXX e segg.

a) Ora i dialoghi, quando sembrava che onorati da sì nobili penne francesi ed italiane dovessero prender più voga, pare al contrario che siano caduti di moda, e sono appena adoperati da' moderni scrittori, nè molto stimati da' critici i quali credono che la forma dialogistica possa più pregiudicare alla precisione ed alla rapidità del didascalico discorso, che giovare alla chiarezza ed amenità. *Andres,* Orig. e Progr. tom. III. p. I. c. IV.

est, vel solum quomodo absolutum fuerit colloquium dicit, vel quid rei consecutum sit indicat: quare aut aliquid, quod revere acciderit, est narrandum, aut verisimile quidpiam fingendum.

In dialogo comico partes sunt eaedem, quae in dialogo historico. Sed tamen, quoniam non narratur historice quid inter se sermocinati sint amici, verum, ut comici solent, ipsi actores loquentes inducuntur; Παρασκευή nec prologum nec narrationem complectitur: solum enim ipsum ostendit sermonis initium et oratione directa prodit quo ordine colloquentes in sermonem inciderint. Partes dialogi comici.

Universim autem in dialogis haec potissimum curabimus: ut personae, si verae sint, eadem aetate vivant, aut melius vixerint, et verisimile sit sermonem illum habuisse: ut eaedem personae vario sint charactere, quem singulae custodiant, variisque sententiis: ut licet una persona primas obtineat, reliquae tamen ingenio et doctrina polleant, nec sint solum approbatores, sed vere oppositores actoresque a). Quibus ex rebus fiet, ut ex praeclariorum hominum exemplo ad doctrinam et virtutem vehementius incitentur animi, dialogus ornatu, adfectibus, Dialogorum dotes.

a) Un dialogo sopra qualche soggetto filosofico, morale o critico, ove sia ben condotto, occupa fra le opere di gusto un luogo eminente; ma il bene eseguirlo è assai più difficile di quel che si possa immaginare. Imperocchè non ha già ad essere una semplice introduzione di più persone che parlino a vicenda. Vuole essere la rappresentazione animata d'una real conversazione: offrir devo i caratteri e le maniere di diversi interlocutori, e secondo i caratteri di ciascuno mostrare quella particolarità di pensieri e d'espressioni che distinguono l'uno dall'altro. Un dialogo così condotto dà al leggitore un piacevolissimo trattenimento; poichè per mezzo de' dibattimenti che nascono fra i personaggi che parlano, egli prende una chiara e piena cognizione delle ragioni dell'una e dell'altra parte, nel tempo stesso che è dilettato da una gentil conversazione, e dalla rappresentanza di bene espressi e ben sostenuti caratteri. Un autore che abbia l'abilità di bene eseguire un sì fatto componimento, ha in poter suo l'istruire insieme e il dilettare. Ma la maggior parte de' moderni scrittori di dialoghi non hanno di tali componimenti la giusta idea; e presso di loro, tranne l'esteriore forma di conversazione, ò che uno propone, e l'altro risponde: nel rimanente è lo stesso come se l'autore tutto dicesse in persona propria. Egli introduce una persona A, e una persona B, che dopo gli usati reciprochi convenevoli, e dopo... *Ugo Blair*, Vol. II. p. II. lez. XII.

et amplificatione saepe erigatur, ac magna lectorum delectatione immensae varietatis segeti pateat locus.

Dialogorum stilus

Dialogorum stilus supra communem docendi rationem extollitur. Huiusmodi enim scriptionum forma familiares amicorum sermones imitatur: omnes autem imitationis artes perfectius res exprimere conantur. Praeterea personarum, quae loquentes inducuntur, ratio habenda est: quare, licet huius generis stilus sit plerumque tenuis, ut in Luciano et Xenophonte; potest nonnunquam mediocris esse, ut in Platone et Tullio. Immo res ipsae, quae aguntur, interdum postulant, ut stilus ad quamdam dignitatem et gravitatem assurgere debeat. Dotes vero huius naturae orationis hae sunt; ut cum eloquentium amor et modestia tum rerum veritas et virtutis studium eluceat. Ad haec, requiritur magna locorum copia, opportunus urbanitatis lepor, et ingenua quaedam colloquendi festivitas [1]).

Dialogorum auctores.

Celebrantur ob dialogos Xenophon, Aeschines, Plato, Lucianus inter Graecos: inter Latinos eminet Tullius et Auctor de Causis corruptae eloquentiae. In vulgari autem idiomate laudantur maxime ob elegantiam Angelus Pandolfini, Balthassar Castiglione, Ioannes B. Celli, Benedictus Varchi: ob sapientiam etiam Galilaeus Galilei, Torquatus Tasso, Sfortia Pallavicino a). Franciscus M. Zanotti, Franciscus item Algarotti, tum Gaspar etiam Gozzi, Vincentius Monti, atque Antonius Cesari et Bresciani alius alia re multum commendantur.

§ II.

De Tractatione

Quid tractatio?

Tractationum nomine significamus volumina illa, quae apta materiae dispositione et in libros, capita ac paragraphos divi-

1) V. Heinec. Fund. St. cul. Par. II. c. IV.

a) Voleva trattare ampiamente e profondamente tutta la sapienza morale: e ne gittò le fondamenta ne' quattro libri che in lingua italiana scrisse Del Bene, in forma di dialoghi, sottilissimamente investigando quale sia il vero Bene della natura umana: e quelle sottigliezze veramente finissime, e spesso fuggevoli ad intelletti non assuefatti, seppe incorporarle e adornamente vestirle con eleganza erudita e molto dilettosa di stile... E ne' dialoghi del Bene fece con vivo esempio vedere di quanta grazia e amabilità possa un valente scrittore abbellire anche le questioni più aspre. *P. Giordani*, loc. cit.

sione de re quapiam docendi causa scribuntur. Huius generis volumina a re ipsa, in qua versantur, sortiuntur titulos; ut a mathesi, a physica, a philosophia, a morum scientia, a theologia, a politica, a rethorica, a poëtica, ab aliqua liberalium aut mechanicarum artium. Praecipua vero tractationum divisio sic habet; ut aliae de scientia aut arte aliqua, cognitionis tantum gratia, apposite disserant: aliae autem de ratione solum cum ipsas scientiarum artiumque tractationes tum omnis generis scriptiones apte componendi disputent. De prioris naturae tractationibus, praeter ea quae superiori capite generatim attigimus, nihil hic attinet singillatim dicere. Cum enim proprius rerum delectus, ordo, et methodus ab ipsa scientiae aut artis natura pendeat, illi haec costituere debent, qui artes ipsas et disciplinas primo profitentur: theologi nimirum, philosophi, iurisconsulti, politici, mathematici, physici, medici, musici, architecti, pictores, sculptores, singuli tandem cuiusque artis vel scientiae periti.

Tractationum divisio.

Quae res ipsas tradunt

Quae rectam omnium generum lucubrationes scribendi rationem tradunt, haec sunt: Grammatica, Rhetorica, Poëtica. Grammatica emendate, pure et proprie loquendi leges praescribit: Rhetorica, latius accepta, prorsa oratione apposite ad quodlibet dicendi genus utendi doctrinam suppeditat: qua auditores delectando instruendo movendo id, quod nobis propositum est, efficacius assequamur. In hoc ipso est Poëtica, quae versa oratione et propriis viis artibusque ad aliquid obtinendum contendit. Iam vero cum Grammatica, tum Rhetorica et Poëtica praeceptis, exemplis, et methodo maxime continentur.

Quae rectam scribendi rationem.

Praecepta ex ipsis exemplis, quae perfecta habentur, sunt ducenda: quare cum huiusmodi exempla optimi cuiusque iudiciis iam sint probata, nihil fere novi in artium principiis conari adhuc datur: nisi forte quis adeo se diligit, ut plus, quam Aristoteles, Longinus, Dionysius, Tullius, Horatius, Fabius, Bembus, Torquatus, Pallavicinus, aliique praestantis ingenii viri, se videre existimet. Duo nihilominus ad ipsa praecepta exponenda afferre possumus: certiorem scilicet legum rationem; et ad nostra tempora aptiorem earumdem usum. Certior ratio novis exemplis et optimis argumentis constare debet: sed in argumentis cavebimus, ne temere in philosophiam pedem inferamus.

Vigent praeceptis: horum ratio.

Aptior verò legum usus in hoc erit; ut, quoniam temporum

Legum usus.

tractu, et continua opinionum in philosophia perversitate artes ipsae, quae ex philosophia plurimum pendent, in deterius solent ruere, ii, qui operae pretium facere student, nitantur sanum in re litteraria hominum iudicium servare, corrigere vitiosum. Id autem plerumque assequemur ipsis veterum principiis : ad quae artes, si forte alio deflectunt, diligenter revocabimus. Qua in re nostrum aetate praeclare meriti sunt Gozzi, Parini, Costa, Cesari, Perticari, Colombo, Puoti, Fornaciari, Paria, Ranalli, aliique. Qui omnes novis morbis antiquis medicinis remedia fecerunt. Nec vero omnia statim sunt repudianda: tum sive respuimus aliquid, sive admittimus, non partium studio, sed veritatis causa id fieri debet.

Exempla: horumdelectus.

Exempla alia sunt veterum, alia recentiorum. Quae veterum sunt caeco quodam studio solent interdum admitti: nos iudicium adhibebimus: sunt enim multa optima, quaedam quae meliora fieri possunt, non pauca etiam vitiosa. Itaque nos, quae praeclara sunt deligemus, ac cum ubi sit virtus indicaverimus, vitium quoque interdum significabimus ; ut quae melior sit scribendi ratio, assequamur. Sunt qui omnia nova contemnunt: hi, sive rerum ignoratione sive auctorum invidia id faciant, nihil ab artium studio iam expectant, et naturam ipsam iamdiu effetam existimant. Quod quam inurbanum, quam stultum, quam falsum sit, nemo est qui non intelligat. Castiganda quidem hodie est hominum quorumdam superbia, qui nimium se posse arbitrantur; sed ad aliud extremum non est accedendum. Nos igitur, ubi res postulat, recentiorum etiam exempla probabimus, sed caute: facile enim est ut a rerum novitate decipiamur: adolescentibus autem proponenda sunt quae habentur certa et praeclarissima. Id quoque cavendum, ne dum de oratione loquamur, carmina in exemplum sine iudicio afferamus: quod plerique inconsulto factitarunt.

Omnia nova non contemnenda

Methodus, quae constat.

Verum etiamsi in praeceptis atque exemplis componendis ac confirmandis nihil novi possemus, plurimum tamen semper esset in methodo vestigandum. Methodus autem hic est propria cuiusque auctoris rem tractandi ratio seu forma: quae partium dispositione, praeceptorum iudicio, exemplorum delectu, et certo stili charactere continetur. De partium dispositione satis multa superiori capite diximus: unum tantum hic rursus monemus, ut ordo maxime eluceat, et rerum series facillime teneatur. Praeceptorum vero iudicium in hoc praecipue erit, ut non so-

Partium dispositione.

Praecepto-

lum certiora sint, verum etiam utiliora: utiliora autem habentur, quae maxime sunt generalia. Ea enim cum ad plures res facile traduci possunt, tum ingenii vires explicant, atque minutulas illas regulas exterminant, quibus multa temporis iactura, et implexa mentis defatigatione adolescentium animi veluti pedicis constringuntur. Curandum etiam ne praeceptorum loco exceptiones ponantur: quod in vitium incidunt illi, qui non reputant, in ipsis probatissimis scriptoribus plurima esse, quae communes regulas praetergrediuntur: quare non omnia uti leges haberi possunt. Imo, quantum fieri potest, exceptiones sunt praetermittendae, ne iuvenum mentes confundere, et ipsa praecepta destruere videamur. rum iudicio.

Delectus exemplorum postulat, ut non modo ex optimis auctoribus petantur, sed ad leges confirmandas maxime valeant. Id fit, si et praecepta perspicue confirment, et illustriora ceteris sint exempla. Praeterea exempla longiora identidem velim, crebriora neutiquam; ne ipsa exemplorum copia praecepta obruat. Exemplorum delectu.

Stili denique character perspicuitatem, proprietatem, puritatem desiderat, et tenuitate ac simplicitate commendatur. Maxime autem diligentia adhibenda est, ut pure et emendate scribamus: nam ipsae institutiones saepe litterarum sunt corruptelae. Qua in re, ne aliorum incurramus offensionem, satis est meminisse Novae methodi Claudii Lancellotti, quam Portus Regalis Grammaticam vulgus appellat. Nonne absurda illa, et incondita carmina, ut cetera mittam, omne aurium iudicium a teneris in pueris restinguunt [1])? Certo stilo.

Iam cum tot et tanta observanda sint in methodo, quis non intelligit multa in his rebus quotidie renovari posse? Semper enim methodus aliqua inveniri aut componi potest, quae cum ceteris sit facilior et iuvenibus magis profutura, maiori etiam temporis compendio disciplinas tradat. Nolim quidem alias atque alias eiusdem rei tractationes in dies proferri, ne aut ingenia regularum mole deprimantur, aut hominum vita in legendis scribendisque praeceptis teratur: sed certe multae, modo praeclarae, scribendae essent; ut melioribus saltem fieret aditus tum ad gymnasia tum ad privatas quasdam publicasque scholas: in quibus novae institutiones aut ignorantur, aut contemnuntur. Ex novis institutionibus commoda.

1) V. *Hier. Lagomarsini* Orat. II. pro Gramm. Italiae scholis.

§ III.

De aliis scriptis didascalicis

Historia litteraria.

Quae primum ad docendi genus etiam spectat, litterarum atque artium historia est. Haec enim quamvis multa ad civilem historiam pertinentia complectitur; id tamen proprie sibi assumit, ut de artis ingeniique operibus iudicet: quod certe docendi munere continetur. Age,litterarum artiumque historia ita dividi potest, ut alia cum studiorum ac disciplinarum originem causas et progressiones, tum etiam scriptorum vel auctorum vitam, et operum relationem atque criticen persequatur: alia certis quibusdam temporum periodis breviter definita et parum vel nihil omnino de scriptorum et artificum vita sollicita, eorum tantum opera respiciat,et optimis ac probatis artis vel scientiae legibus examinet. Prima politicae historiae, ex qua etiam multa praecepta mutuatur, pars haberi potest; sed tamen, proprio fine constituto,amplioribus terminis vagatur, et in rebus,quae litterariae aut τεχνικαὶ sunt,diiudicandis opus absolvit suum: quare eruditorum solum hominum ingenio maxime videtur accommodata.Altera in operum stilo et rerum perfectione existimandis consistit potissimum,si finem suum attingit: haec enim tantum adolescentes, in quorum bonum scribi debet,plurimum iuvant. Verum admittere etiam deberet varias studendi rationes, quibus viri egregii ad litterarum artiumve gloriam pervenerunt: quod quidem, si sobrie fiat, caput est, ut puto, in hac re; sed fere ab omnibus praetermissum.

Est duplex.

Communes utriusque dotes.

Quidquid autem erit institutum, quae de auctorum vita et temporum historia traduntur, ea esse debent, quae ex certa cuiusque vivendi ratione, ex rerum publicarum ingenio et vicibus, ex locorum opportunitate manifestent quid praecipue ad artes scientiasque colendas augendasque conferat. Cum vero proprium huiusmodi historiae officium sit de ipsis operibus rectum iudicium proferre, in hoc potissimum scriptoris prudentia appareat: nam huius generis iudicia saepe artium scientiarumque leges ac normae habentur. Quare illi artium et scientiarum historiam conscribere deberent, qui praeclare in iisdem sint versati: quod cum plerumque fieri nequit, necesse omnino est, ut saltem iudicia a peritissimis in re qualibet viris petan-

Qui scribere deberent?

tur. Quo in genere illi praestant, qui non a proprio cuiusque aetatis gustu, sed certis et nunquam fallentibus pulchritudinis legibus res quaslibet iudicant. Huius iudicii defectu, ex temporum vel personarum conditione orto, praeclari quique etiam peccant, ut Tiraboschius interdum et Andresius: multo magis alii, qui minus excellunt.

Ex quo Academiae percrebuerunt, quod oratoriae eloquentiae in foro defuit, academicis orationibus accessit. Sed huiusmodi orationes, quia fere solum in re didascalica versantur, huc pertinent, et sermonum, dissertationum, ellogiorum, ac lectionum forma praesertim exarantur. Quarum scriptionum finis non est vaga solum alicuius veritatis cognitio, multo minus canorae verborum nugae; sed singularis cuiusdam doctrinae explicatio, quae ex temporum personarum ac locorum ratione ad commune aliquod bonum traducatur. Difficile est sermonum et dissertationum discrimen certo definire: nam dissertationis hoc solum proprium ac perpetuum est, ut de re multum controversa vel in dubium revocata, tum de eruditione potissimum habeatur. Ceterum tam sermo, quam dissertatio ad hoc contendunt, ut civilis aut litterarii emolumenti gratia verum aliquod explicent, confirment, illustrent. Ipsa tamen controversiae forma et stili ratio, tum ingenii acumine cum orationis copia dissertationis naturam constituit et a sermone satis distinguit: qui arte et concinnitate praecellit.

Orationes Academicae.

Sermo et Dissertatio.

Ellogia ad laudationis genus proprie pertinent, atque illinc sua argumenta ducunt: differunt tamen a panegyri, quod in hac illustriores et optimi quique viri multa oratoriae artis facultate celebrantur; in ellogiis minores etiam homines laudantur, et simpliciori artificio ducitur oratio. Quare in panegyri, quae nunc fere solum de sanctorum caelitibus habetur, praeclariora vitae facta ad certam insignemque propositionem confirmandam recensentur: in ellogiis vita ipsa, qua est illustrior, constitutis quibusdam partibus, breviter, etsi ornate, narratur. Unitatis tamen gratia certae quaedam ingenii vel animi virtutes eligi solent, ad quas vita ipsa revocari possit, ut egregium virtutum exemplum, omnium imitatione dignum, auditoribus proponatur. Motus etiam aliquis in his orationibus semper esset adhibendus: quare, ut quisque videt, etsi ob artes vel scientias, de quibus saepe est agendum, huc referri possint ellogia; tamen multum admodum cum oratorio genere commune habent.

Ellogia.

A Panegyri discrimen.

Lectio. Lectio est oratio, quae Magistri ex cathedra discipulos alloquentis sermonem imitatur: quare eius brevitas proprio scholae tempore definitur. Quamvis autem quaelibet lectio determinatam habeat materiam; tamen fere nunquam sola consistit: sed cum aliis atque aliis coniuncta lectionibus integram rei alicuius tractationem absolvit. Singulae vero lectiones doctrinae utilitate, gravitate sermonis, explicationis perspicuitatis et confirmationis robore commendari debent. Admittunt etiam praeter exordium et conclusionem, multa ornamenta, quae in ceteris docendi formis essent supervacanea. Quamvis in qualibet academica oratione licet plusculum stilo indulgere: nam in academiis praesertim plurima delectationis habenda est ratio.

Dictionaria. Tria genera. Instruendi officio funguntur etiam *Dictionaria:* quorum multa sunt genera. Alia enim perbrevem virorum illustrium vitam; alia scientiarum et artium varias cognitiones; alia linguarum voces continent, eademque *Vocabularia* satis proprie dicuntur. Quae tria genera varie item, ex materia, ex forma, ex officio dividi solent, atque ex his elementis suam unitatem sortiuntur, si recte fiant. Prioris generis utilitas. Prioris generis libri plurimum ad hominum eruditionem conferre possunt: praebent enim concisas sed accuratas cuiusque viri, arte ingenio et virtute clari, notitias, singula eiusdem opera apposito iudicio recensent, et fontes, unde maior cognitio hauriri possit, aperiunt: gravitate itaque, diligentia, et pura sed brevi stili ratione delectantur.

Artium et Scientiarum *dictionaria.* De artium scientiarumque *Dictionariis* variae adhuc esse possunt doctiorum sententiae: difficile enim est de certa harum scriptionum utilitate aequum iudicium ferre. Duo tamen videntur indubia: alterum Graecos et Latinos atque ipsos Italos, qui ante seculum XVI floruerunt, sine huiusmodi libris, et solis auctorum optimorum operibus, egregios in omni artium et scientiarum genere viros habuisse: alterum, horum librorum usum doctis hominibus nullius vel admodum parvi esse adiumenti: minus autem eruditos plus superbia, quam scientia, augere consuevisse. Nam docti solum longo rerum et auctorum studio, ac diuturno stili exercitio in arte vel scientia excellunt: indocti vero ex verborum scientia et confusam admodum cognitionem acquirunt et ipsa doctrinae levitate extolluntur.

Quae probantur? Verum, licet haec ita habeant, *Dictionaria* peritis iuxta et imperitis interdum multo usui esse possunt, si magnum in rerum delectu habeatur iudicium, si capita ita disponantur ac tra-

cientur, ut aequa artis aut scientiae fiat explicatio, si res singulae brevi sed accurata descriptione definiantur, si tandem haec opera non ob turpe lucrum, vel ad inertiam et superbiam fovendam, se ad hominum diligentiam acuendam, et illustrium auctorum excitandum studium scribantur. Huius enim generis scripta neque ad solam delectationem, neque ob vanam hominum eruditionem,sed ad maiorem discendi docendique facilitatem, diligentiusque res, quas didicimus, in memoriam revocandas, exarari debent.

Ex omnibus *Dictionariis* utiliora videntur *Vocabularia*.Cum enim in infinita sermonis materie multa saepe occurrunt nova, multa facile memoria excidunt, praesto sunt libri, qui vocum significationem, usum, auctoritatem declarent. Immo non utilia modo, sed omnino necessaria sunt *Vocabularia:* nam linguae aut moriuntur, ut accidit Graecae et Latinae, aut corrumpuntur, ut interdum usuvenit Italicae ceterisque recentioribus. Quare lingua, cum in pollenti hominum sermone non amplius vigeat integra, addiscenda est ex auctoribus, qui, cum lingua maxime erat in honore, florebant. Ad hoc autem plurimum prosunt *Vocabularia*, quae dici possunt scripta linguarum magisteria. Utiliora sunt *Vocabularia*.

Quatuor vero in *Vocabulariis* emicare debent: copia,delectus, iudicium, auctoritas. Copia id postulat, ut nihil praetereamus, quod ad totius linguae cognitionem pertinet: quare diu multumque probati omnes scriptores sunt evolvendi; ne propter nostram investigandi inscitiam aut negligentiam lingua minus perfecta, minusque dives locuplesque appareat. Sed ne, dum copiam sectamur, sermonis puritatem corrumpamus, utemur delectu: quo primum eligemus vocabulorum fontes, qui ad illa spectent tempora, in quibus nec inchoata solum erat lingua, nec infuscata vel corrupta; deinde voces ipsas secernemus: ut enim non sunt repetenda verba, quae omnino periere, nisi ad auctorum intelligentiam; sic prorsus abstinendum est a novis vocabulis, quae sine aperta res novas significandi necessitate a recentioribus quibusdam scriptoribus magna licentia obtruduntur. Quatuor habeant: Copiam. Delectum.

Atque haec fere sunt diligentiae: iudicium erit potissimum in vocabulorum etymo vestigando, in eorumdem vi definitionibus declaranda, in explicatione optimis exemplis confirmanda. Quae omnia quanta eruditione, quantaque scientia indigeant, quis est qui non sentiat? Verum ne in tanto negotio aut prolixi simus aut confusi, aut nimium subtiles, magnum iterum iudi- Iudicium.

Auctoritatem.

cium adhibebimus. Demum quaecumque afferemus, auctoritate inniti debent: nam lingua fere sola auctoritate constat. Auctoritas autem claris optimorum scriptorum exemplis constituitur. Quare exempla huiusmodi maxime propria esse debent, et ad rem nostram optime facere: quod obtinebimus, si nihil rude, nihil licentiosum sit in vocibus; si verba pluries ab eodem vel diverso auctore in eadem significatione sint usurpata; si in iisdem verbis, temporum tractu, nulla accesserit probabilis immutatio. Quamquam nec omnia nec multa exempla sunt proferenda; ne librorum moles sine fructu excrescat: sufficit unum aut alterum certissimum, ex optimis auctoribus petitum. Quod si aliqua in re pauca sint exempla, tunc id quidem diligentissime notabitur: quae enim semel aut raro adhibentur, praesertim cum aliena videntur, legum vim habere non debent.

Cetera doctrinae et eruditionis genera.

Reliqum esset, ut cetera eruditionis genera persequeremur; characteres nimirum, prooemia, commentaria, scholia, notas, indices, relationes, constitutiones, leges, edicta, et quae sunt alia huius generis et naturae [1]). Sed ab harum rerum omnium praeceptis tradendis hic abstinemus: non quod intemperantis et otio abutentis ingenii id videri possit, sed quod nostrarum institutionum limites transgrederetur. Ceterum, nisi ingenium deest, facile ex cuiusque generis natura et fine, atque ex personarum rerumque adiunctis materies, forma, stilus, perspicuitas, brevitas, ceteraeque scriptionis virtutes praefiniri possunt, et legibus temperari; praesertim si praeclara quaeque exempla intueamur.

CAPUT III.

DE EPISTOLIS

Quid est Epistola?

Epistola, ut eius origo et etymon declarat, est: Scriptum quod ad absentes mittitur alicuius rei significandae gratia. Presse definiri potest: Brevis facilis atque candida nostrarum sententiarum nostrorumque adfectuum ad homines procul absentes scripta expositio. Multi multa de epistolis scripserunt, sed fere sine testibus, vel sine iudicio. Nam, quamvis, ut ait Andres, nullum eloquentiae genus tam communiter tamque late, cultioribus praesertim temporibus, pervagatum fuerit; tamen cum ad sin-

Ars Epistolarum.

1) V. *Ranalli*, Amm. Lib. III. cap. III. n. 51. e segg.

gulos epistolae mitterentur, nec in publicum prodirent, accidit, ut nemo pleniorem epistolas exarandi artem scripserit[1]). Cuius rei aliam etiam causam affert Heineccius, qui illos, qui multa praecepta de epistolis tradiderunt, merito reprehendit. *Liberrima,* inquit, *est epistolas conscribendi ratio: sunt enim epistolae familiare inter absentes colloquium: atqui familiares sermones regulis et formulis se circumscribi haud patiuntur. Ex quo consequitur, ut quo simpliciora brevioraque sunt praecepta epistolica, eo meliora iudicanda sint*[2]). Quare quae maiori utilitate de epistolis praecipi possunt, tria videntur: primo natura earum, quae dicuntur eruditae; deinde materia et dispositio familiarium; postremo universa earumdem stili ratio. Heineccii mens.

§ I.

De Epistolis Eruditis

Tullius videtur nonnullis tria epistolarum genera fecisse: scribit enim: *Epistolarum genera multa esse non ignoras; sed unum illud certissimum, cuius gratia inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset. Huius generis litteras a me profecto non expetis. Tuarum enim rerum domesticarum habes et scriptores et nuntios: in meis autem rebus nihil est sane novi. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quae me magnopere delectant: unum familiare et iocosum: alterum severum et grave*[3]). Verum Cicero genus heic, ut alias saepe, pro qualitate usurpare videtur: quare multa epistolarum genera esse dicit, sed tria tantum in re sua meminit. Recentiores, ut plurimum, materiem epistolarum in tot genera conciderunt, quot sunt peculiares fines, quorum gratia litterae scribuntur: puta gratulandi, consolandi, commendandi; plurima autem illa capita ad tria genera a Tullio commemorata revocare nituntur[4]). Nobis commodior videtur divisio, qua epistolae in Eruditas et Familiares; Familiares item in Communes et Graviores distribuantur. Epistolarum genera. Commodior divisio.

Litterae eruditae dicuntur illae, quae in scientiarum artium- Litterae eruditae.

1) Dell'Orig. e Progr. tom. III.P.I.c.5. — 2) Fund. St. P.II.c. I.
3) Lib. II. Fam. Ep. 4.—4) V. *Giardini*, Stile Epistolare.

ve argumentis versantur: sunt autem vel philosophicae, ut Senecae, vel theologicae ut Hieronymi et Augustini, vel philologicae ut Iusti Lipsii et Aldi Manutii; vel criticae, mathematicae, historicae, iuridicae. In vulgari idiomate habemus non solum, qui de aliqua re plures huiusmodi epistolas conscripserunt, ut Magalotti, Algarotti, Bettinelli; sed etiam, qui alia agentes multas eruditas epistolas ediderunt, ut Caro, ut Casa, ut Redi, aliique. Quamquam autem in hoc epistolarum genere, praeter quosdam dicendi modos litterarum proprios, et festiviorem stili rationem, praecepta omnia a consueta scientias artesque tradendi methodo petantur; tamen, si epistolae dignitatem tenere velimus, certo etiam docendi modo litteris accomodato utemur.

Earum origo. Atque ut rem altius ordiamur, etsi epistolae ad mentis sententias animique motus cum iis, qui procul absunt, communicandos primum natae sint; postea tamen alios etiam variosque usus habuere: quare orationis, narrationis, et tractationis locum pro argumentorum varietate obtinuerunt. Enimvero quaedam Tullii epistolae omnes orationis partes habent; quaedam ad historiam accedunt; multae praeclara morum praecepta continent. Sed non est hic de his epistolis sermo, quae cum familiaribus facile commutantur. Fuere sequioribus temporibus epistolae, quae tractationis loco omnino adhiberentur: hae proprie eruditae dicuntur: nam tum instruendi solum causa tum docendi etiam modo apertius exarantur.

Earumdem commoda. Quae per epistolas erudiendi forma multa habet commoda: primum enim fingentes ad amicos scribere, quadam utimur libertate, quae in tractatione esset vitiosa; deinde maiori fiducia res promimus: siquidem non universum hominum genus alloqui, sed privatos homines edocere, eosque sententias nostras benigne excepturos reputamus. Multa praeterea, quae in tractationibus commode exponi non possunt, apposite explicantur per epistolas, quae neque certa materia definiuntur, neque perpetua ducuntur stili gravitate. Ad haec accedit magna rerum varietas, quae partim a digressionibus, partim a dicendi forma et stilo epistolarum proprio nasci solet.

Ordo textusque. Ut huiusmodi epistolae re et verbo dicantur litterae, necesse est, ut tum materies ipsa, tum partes earumque dispositio, tum maxime universa stili ratio epistolarum naturae obsequatur. Materia itaque ea esse debet, quae in utramque partem disputari facile possit, idque nec acute nec nimis graviter: nam si ar-

gumentum certum erit, deerit illa disserendi varietas, qua epistolae fiunt amoeniores: subtilitas autem aut nimia gravitas in litteris efficit, ut initium solum et exitum teneamus epistolae, ceterum veram tractationem scribamus. Ad partes quod spectat, eaedem erunt, quae in familiaribus epistolis: epistolae enim eruditae familiares etiam sunt, atque hoc solum habent proprium, quod non de privato aliquo vel publico negotio, sed de aliqua artis scientiae vel historiae parte agant. Quare ipsa rerum dispositio nullum apertum artificium patitur: imo argumenta omnia, explicationes, difficultates consueto familiariter colloquentium modo proponi debent: oportet enim epistolam, ut ut ad docendum scriptam, suae naturae gratias praeferre. Ex quo fit, ut epistola erudita a ceteris docendi formis stilo potissimum differat: nam non solum omnes ceterarum litterarum proprietates, sed ipsos iocos, sales, et facetias admittit. Quamquam meminerimus nos ad familiares revera non scribere, sed ad eruditos homines, quos fere nunquam cognovimus: in his igitur epistolis paululum temperandum est ab iis dicendi modis, quos cum amicis coniunctisque liberius adhiberemus. Proprietates.

Qui eruditas epistolas scribere velit, is consulat saepe repetatque illustres auctores, quos superius nominavimus. Nos Plinii iunioris ad Capitonem epistolam afferemus, ut breviter saltem, quid potissimum hoc in genere praestandum sit, videamus. Plinii exemplum.

Suades, ut historiam scribam, et suades non solus: multi hoc me saepe monuerunt, et ego volo; non quia commode facturum esse confido (id enim temere credas, nisi expertus); sed quia pulchrum in primis videtur, non pati occidere, quibus aeternitas debeatur, aliorumque famam cum sua extendere. Me autem nihil aeque ac diuturnitatis amor et cupido sollicitat, rei homine dignissimae, praesertim qui, nullius sibi conscius culpae, posteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito, SI QUA ME QUOQUE POSSIM TOLLERE HUMO (id enim voto meo sufficit); illud supra votum, VICTORQUE VIRUM VOLITARE PER ORA. QUAMQUAM O! Sed hoc satis est, quod prope sola historia pollicere videtur. Orationi enim et carmini parva gratia, nisi eloquentia est summa: historia quoquo modo est scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur. Me vero ad hoc studium impellit domesticorum exemplum. Avunculus meus, Studium Historiae.

Auctoris impedimenta.

idemque per adoptionem pater, historias et quidem religiosissime scripsit. Invenio autem apud sapientes honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modo recto itinere praecesserunt. Cur ergo cunctor? Egi magnas et graves causas. Has (etiamsi mihi tenuis ex eis spes) destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc, quod reliquum est, studii addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. Dices, potes simul et rescribere actiones, et componere historiam. Utinam! sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterutrum efficere. Undevicesimo aetatis anno dicere in foro coepi, et nunc demum quid praestare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video. Quid si huic oneri novum accesserit? Habent quidem Oratio et Historia multa communia, sed plura diversa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat sane illa, narrat haec, sed aliter. Huic pleraque humilia et sordida, et ex medio petita; illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt. Hanc saepius ossa, musculi, nervi; illam tori quidam et quasi iubae decent. Haec vel maxime vi, amaritudine, instantia; illa tractu et suavitate, atque etiam dulcedine placet. Postremo alia verba, alius sonus, alia constructio. Nam plurimum refert, ut Thucydides ait, monumentum sit, an certamen, quorum alterum oratio, alterum historia est. His ex causis non adducor, ut duo dissimilia, et hoc ipso diversa quod maxima, confundam misceamque, ne tanta quasi colluvione turbatus, ibi faciam quod hic debeo. Ideoque interim veniam (ut ne a verbis meis discedam) advocandi peto.

Orationis et Historiae discrimen.

Rei difficultas.

Tu autem iam nunc cogita quae potissimum tempora aggrediamur. Vetera et scripta aliis! parata inquisitio, sed onerosa collatio. Intacta et nova? graves offensae, levis gratia. Nam praeter id quod in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt, quam laudanda; tum si laudaveris, parcus; si culpaveris, nimius fuisse dicaris; quamvis illud plenissime, hoc restrictissime feceris. Sed haec me non retardant: est enim mihi pro fide satis animi. Illud peto: praestruas ad quod hortaris, eligasque materiam, ne mihi iam scribere parato alia rursus cunctationis et morae iusta ratio nascatur. Vale.

§ II.

De Materia et Dispositione Familiaris Epistolae

Magis ad rem nostram faciunt epistolae familiares; scilicet eae, quae aut negotiorum agendorum, aut testandi amoris, aut animorum conciliandorum gratia scribi solent. Eas, si de rebus privatis et ad privatas personas vel inter proceres mutuo scribantur, communes dicemus; si ad magnos viros aut de rebus paullo severioribus mittantur, graviores appellabimus. Communis epistolae materia sunt res eaedem, quae privatis hominum consuetudine et colloquio aguntur: nimirum res enarrare, quas nostra vel aliorum interest scire, aliquem commendare, consilium petere vel dare, rem postulare, gratias agere, fausta precari, gratulari, consolari, condolere, hortari, dehortari, laudare, reprehendere: quae omnia occasionem otiosioribus grammaticis praebuerunt epistolas in totidem genera dividendi. Materia gravioris epistolae solent esse res caedem, quas modo recensuimus, sed ex adiunctis praesertim personarum, et ex negotii vel officii magnitudine induunt quamdam gravitatem tum quoad sententias tum quoad stilum. Utraque vero epistolarum ratio, quod maxime curandum, maiori, quam in privato colloquio, temperari debet prudentia, modestia, verecundia, urbanitate.

Familiaris Epistolae Duplex Genus.

Epistolae communis materia.

Materia epistolae gravioris.

Exemplo communis epistolae esse possunt primae quatuor litterae, quas Tullius scribit Terentiae [1]): in his enim facilius perspici potest harum epistolarum natura, quae maximo sunt in usu, quaeque saepe aut turgidae sunt aut adfectatae; ut pateat ex animo non scribi, sed ex artificio, quod maxime abesse debet ab epistolis a). Gravioris epistolae exemplum habes in pri-

Exempla communis epistolae.

1) Cic. Epist. ad Div. Lib. XIV. 1. 2. 3. 4.

a) Signor si, signor si, che il sig. priore Luigi Ruccellai mi fece favore in nome di V. S. Illustriss. di darmi il bellissimo capitolo intitolato Il Sacrifizio, che ella gli ha mandato. Non solamente me lo diede; ma lo leggemmo ancora insieme in casa mia più d'una volta, e sempre da me fu ammirato come opera in suo genere eccellentissima: e se ho da riferire a V. S. Illustriss. quello che dopo molte letture io dissi al medesimo sig. priore Ruccellai, le scriverò che alla buona ed alla schietta io dissi che, dal tempo di fra' Guittone in-

ma Ciceronis ad Quintum Fratrem epistola [1]), quam Heineccius litterarum reginam appellare solebat. Ego breviorem memorabo: *Ut legi tuas litteras, quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem; te velle uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam: spe tamen adducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia de otio,de pace,de concordia civium agi velle arbitrarer: et ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam et personam meam. Quod si ita est, et si qua de Pompeio nostro tuendo, et tibi ac reipublicae conciliando cura te attingit; magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem: qui et illi semper et senatui, quum primum potui, pacis auctor fui; nec sumptis armis, belli ullam partem attigi, iudicavique eo bello te violari, contra cuius honorem, populi Romani beneficio concessum, inimici atque invidi niterentur. Sed ut eo tempore non modo ipse fautor dignitatis tuae fui, verum etiam ceteris auctor ad te adiuvandum; sic me nunc Pompei dignitas vehementer movet: aliquot enim sunt anni, quum vos duo delegi, quos praecipue colerem, et quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem a te peto, potius omnibus precibus oro et obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim: quae si tantum ad mei-*

Gravioris Epistolae exemplum.

fino al corrente giorno, io non avea trovata poesia che mi fosse piaciuta più di questa. Veramente è una bella cosa, facile, gentile, e tra la sua natural gentilezza, ripiena di robustissimi concetti. Caro il mio riveritissimo sig. Vincenzo, me ne rallegro con V. S. Illustriss. e me ne rallegro con tenerezza e di cuore. Non vorrei già che ella avesse a continuare in simili poesie afflittive. Iddio benedetto mi vede il cuore; ed io so qual riverentissimo affetto io porto al suo sommo merito, ed alla sua gran virtù. Mi dà la burla V. S. Illustriss. con lo scrivermi, che io corregga e riformi. Io non sono abile a farlo; ma quando pur anco fossi abile, e che cosa vuole ella, ch'io trovi da correggere e da riformare in un'opera così pulita? Or via su le dirò, che ho cercato col fuscellino, e non mi è stato possibile trovarvi cosa veruna correggibile. Mi creda, e si acquieti. Mi continui il suo affetto, come cordialmente la supplico, e le fo divotissima riverenza. *Fr. Redi* al sig. Vincenzo da Filicaia.

1) Lib. I.

psum pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum. Sed, ut arbitror, ad tuam fidem et ad rempublicam pertinet, me e paucis, et ad utriusque vestrum et ad civium concordiam, per te quam accomodatissimum conservari. Ego, quum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses: tamen lectis eius litteris, quas ad me gratissimo animo de tota liberalitate beneficioque misit, eamdem me salutem a te accepisse putavi, quam ille: in quem si me intelligis esse gratum; cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim 1).

Si epistola plures res, ut plerumque fit, complectitur, tunc propositiones, de quibus scribere volumus, ante oculos ponamus eo ordine, qui videbitur melior: deinde dispiciamus, an habeant aliquid commune, vel plane dissimilis sint uaturae: simile enim et dissimile multam praebent res eleganter coniungendi facultatem. Tandem expendamus singulas propositiones, an probari illustrarique debeant brevibus argumentis, similitudine, exemplis, testimoniis. Tunc vero, nullo vel brevi admodum principio, epistolam conscribamus uno illo tenore, qui ex rerum ipsarum connexione nascitur, vel aptis transitionibus inducitur. Quam multas, quam facili nexu coniungat saepe res Tullius, nemo non admiratur: breve exemplum proponi potest in eius epistola ad Varronem: *Etsi munus flagitare.* 2) a). Epistola de pluribus rebus.

1) V. Lib. IX. ad Att. Ep. XI.—2) Lib. IX. ad Div. Ep. VIII.

a) E non portava il pregio, che voi vi rompeste il sonno per rispondere a me, di cosa massimamente che nulla montava. Che se ben io sono desideroso di aver vostre e d'intender nuova di voi, non sono però tanto importuno che non voglia più tosto il vostro comodo ch'il mio piacere. Dico così, perchè so che lo scrivere oziosamente non vi suole andar troppo per la fantasia. E io ne' termini che voi siete, vorrei nè da me, nè da altri vi fosse data noia; anzi che tutto il mondo vi consolasse. Or tanto maggior obbligo ve ne tengo, quanto con maggior disagio l'avete fatto. E della risposta e della raccomandazione che m'avete mandata alla signora donna Giulia, ho ricevuto tanto piacere, quanto sento dispiacere e cordoglio delle tante ingiurie che la fortuna vi fa e che tutto giorno v'apparecchia. Di che non vi posso dir altro di quello che per l'altra vi dicessi. Alla signora detta feci presentar la vostra e quella di Gandolfo, e subito S. Signoria mandò per me, rinnovandomi per vostro amore quelle offerte e quelle accoglienze che m'aveva già fatte per sua gentilezza. Nè solamente S. Signoria, ma ognuno qui mi fa cortesia per vo-

De re una Epistola.

Sed si epistola de una re exaratur, brevissimum exordium vel commune est, vel proprium: commune aut de alterius valetudine quaerit, aut petit scribendi veniam, aut acceptarum epistolarum sententiam paucis amplectitur. Proprium autem ab occasione causaque scribendi ducitur, ac propterea non solum melius sed facilius est. Exordium excipiet propositio, quae firmis potius quam multis munienda est argumentis. Argumenta vero suppeditabunt ipsae περιστάσεις, seu res cum adiunctis. Neque enim operae pretium faciunt, qui in epistolarum praeceptis multos argumentorum locos, puta ab utili, ab honesto, iucundo, facili, decoro, ostendunt. Ipsae tantum res et adiuncta suggerunt apta argumenta. Nam si cui gratulandum sit novum munus, ipsa ratio, alibi erudita, docebit ostendendum esse munus esse optabile, honorificum, hominis virtute dignissimum, ex eoque multum decoris in cives et in rempublicam redundare. Simile quid aliis in rebus erit, dummodo versus, *Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo quando* sententia paullo diligentius expendatur. Illustris hac in re est epistola Tullii ad Lucceium: *Coram me tecum eadem haec agere conantem* [1]). De

Exemplum.

sola consolatione etiam scribit idem Tullius ad Titium. ***Etsi***

stro rispetto; perchè mi s'è levata tra questi Napolitani una nominanza ch'io sia l'anima vostra; ed avendo voi per quel singolare uomo che siete, non vi potendo onorar presente, onorano me di parte degli onori vostri. Di che alla vostra virtù ne son grato, ed a voi gli appresento, ritenendone quel poco d'ombra che me ne può rimanere d'esser stato degnato da voi per amico, e dagli altri per luogotenente delle vostre lodi. Pensate, se veniste qua voi, quello che vi farebbono! Con mess. Gandolfo, oltre all'ingiuria che m'ha fatta di piantarmi, ho una collera bestiale che m'abbia infamato per poeta per tutto Napoli, e per autore della Nasea: perchè non posso passar per la strada che non mi vegga additare e non senta dirmi addietro: *Quegli è il poeta del Naso*. E chi non sa il fatto o non mi ha veduto in viso, mi corre innanzi pensandosi ch'io abbia il naso grande. E fannomi una nasata intorno, che vorrei piuttosto portar la mitera. Questo obbligo ho io prima con quel nasuto di mess. Gio. Francesco, ed ora col Gandolfo; al quale io non rispondo, perchè, secondo che mi scrive, lo fo partito per di qua. Io mi sforzerò di tornare più presto che potrò. Non so il quando, perchè sto a' comandamenti del padrone. Intanto mi raccomando a voi, e prego Dio che vi consoli.

Caro, Di Napoli alli 25 di maggio 1528

1) V. Lib. V. ad Diver. Epist. XII.

ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse, meaeque in te benevolentiae, non tacere tanto in tuo moerore tamdiu: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae levare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque animo habere debemus, HOMINES NOS UT ESSE MEMINERIMUS, *ea lege natos esse, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus: neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus: eventisque aliorum memoria repetendis nihil accidisse nobis novi cogitemus. Neque hae neque ceterae consolationes, quae sunt a sapientibus viris usurpatae, memoriaeque litteris proditae, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostrae civitatis, et haec perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt; minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua republica perdidissent. Quod si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione moeres; non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat, quae magis amoris est, ut eorum qui occiderunt, miserias lugeas; ut ea non dicam quae saepissime et legi et audivi, nihil mali esse in morte, in qua si residet sensus, immortalitas potius illa, quam mors dicenda sit; sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae non sentiatur: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere reipublicae, quae qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim iam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? non, mehercule, quemquam audivi hoc gravissimo, pestilentissimo anno, adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a Diis immortalibus exceptus ex his miseriis, atque ex iniquissima conditione vitae videretur. Quare, si tibi unum hoc detrahi potest...* [1]).

In epistolis conscribendis hoc etiam servabimus, ut in propo- Qui rerum ordo?

1) V. Cic. Lib. V. ad Diver. Ep. XVI.

sitionibus ordinem illum teneamus, quem ipsa natura rerum nobis suggeret: in responsionibus autem, ut plurimum, eamdem seriem, quam secutus est scriptor, diligamus. Quem vero locum habeant affectus in epistola, facile ipsius natura significat: epistola enim argumentis, quae vocantur ἠθικά, tota aspersa esse debet; significationibus nimirum amoris, existimationis, benevolentiae, obsequii, et virtutum omnium, quas civiles appellant. Sed quae παθητικά sunt argumenta, quamvis cum dignitate etiam soleant usurpari, raro tamen et parcius sunt adhibenda.

Quae conclusio? Conclusio epistolae vel propria est vel communis. Propria ex ipsa re nascitur: nam, ut exemplo utar, si cui gratulandum est, conclusio vel votum aliquod, vel cohortationem, vel commendationem nostri, vel aliud huiusmodi complectetur: si gratiae agantur, subiicietur vel votum vel grati animi pollicitatio, vel aliae officiosi hominis significationes. Conclusio vero communis ea est, quae variis epistolarum generibus accommodari potest: cuiusmodi est officiorum communicatio, commendatio valetudinis, amicorum salutatio, flagitatio responsionis, et similia: in quibus omnibus et res ipsa , de qua scribitur, et decorum personarum attendendum est. Inepte enim quis post acrem reprehensionem consuetis comitatis officiis molliter concluderet: inurbane autem qui gravibus hominibus mandata daret. Conclusionum formulas mutuari possumus ex Tullio et ex doctioribus nostris auctoribus: sed curabimus ut christianae sint, non ethnicae aut prorsus profanae.

§ III.

De Epistolarum Stilo

Qui stilus epistolarum? Epistolarum stilus est sermone familiari paullo adcuratior, sed dictione elaborata remissior: quem Demetrius Phalareus ex tenui et venusto mixtum esse definit [1]). Potest tamen litterarum stilus interdum attolli, quum vel rei gravitas, vel personarum conditio id exposcit. Praecipuus autem huiusmodi stili character exigit, ut genus dicendi sit ubique moratum: scilicet ut epistola revera privata referat hominum colloquia, licet sit in sen-

1) V. Traduz. di *M. Adriani* sez. XII.

tentiis castigatior, adornatior in verbis. Qui moratus character adeo est necessarius, ut, si absit ille, epistola esse desinat: quare qui de rebus gravissimis subtiliter disputant, non epistolas, sed tractatus potius scribere dicendi sunt: quo in genere sunt litterae Senecae, qui nullum fere morati stili vestigium habet.

Nec vero una eademque dicendi ratione omnes conscribendae sunt litterae. Iocosae enim et valde familiares quotidianis, ut ait Cicero, exarantur verbis [1]): itaque in his epistolis nimia cura, quae apparet in Manutio, non probatur. Hortatoriae, expostulatoriae et huius generis aliae concitato feruntur stilo: exemplo est integer liber III epistolarum Ciceronis ad Appium Pulchrum, atque imprimis epistola septima. Commendatitiae et petitoriae mediocrem, civiles et, quae ad magnos viros scribuntur, gravem dicendi rationem postulant. Non semper idem.

Iam vero communi plurimorum iudicio quatuor proprietates epistolis tribuuntur: simplicitas nimirum, facilitas, urbanitas, et brevitas. Simplicitas in quadam nuda et naturali rerum expositione consistit: sed tamen non excludit neque festivas dicendi formas, neque metaphoras aut figuras parce adhibitas. Facilitas est dicendi ratio quae ita res describit, ut, etsi graphice etiam omnia depingantur, nullum tamen adpareat studium. Urbanitas non solum a rudibus verbis et plebeis vel humilibus dicendi modis abhorret, sed maxime humanitatis et comitatis significationes amat: quae tamen miscendae sunt gravitate atque interdum severitate. Brevitas denique in epistolis sic intelligenda est, ut, licet, quemadmodum scribit Seneca [2]), sinistram manum eae implere non debeant; non sint tamen aridae et exsangues, multo etiam minus ita concisae, ut interprete egeant. Iocosae profecto longiores esse solent, eisque quam maxime se oblectari scribit Tullius. Epistolarum proprietates quatuor.

Atque haec generatim: illud est proprium, ut quaelibet epistola suum servet decorum: de quo pulchre Erasmus: *Ego epistolam optimam iudico, quae argumento, loco, tempori, personae quam maxime sit accommodata; quae amplissimis de rebus agens sit gravissima, de mediocribus concinna, de humilibus elegans et faceta; in iocis acumine delectet ac lepore, in encomiis apparatu, in exhortando vehemens sit et animosa, in consolando blanda et amica, in suadendo gravis et senten-* Decorum Epistolarum.

1) V. Lib. IX. ad Div. Epist. XXI.—2) Epist. XLV.

tiosa, in narrando lucida et graphica, in petendo verecunda, in commendando officiosa, in rebus secundis gratulabunda, in afflictis seria. Neque rei solum obsecundabit epistola, verum etiam temporum personarumque habebit rationem, nec eadem de re quovis tempore nec apud quosvis loquetur: alia specie sese offeret senibus, alia iuvenibus, alia tetricis ac severis, alia iis qui festiviore sunt ingenio, alia aulicis, alia philosophis, alia familiaribus, alia ignotis, alia vacuis, alia negotiosis.

Epistolarum scriptores Graeci.

Verum epistolarum stili natura et proprietates ex probatis auctoribus facilius intelliguntur, quam ex praeceptis. Sed Graecorum epistolae maximo rei litterariae damno sunt deperditae: nam, quae circumferuntur, epistolae Themistoclis, Isocratis, Platonis, Aeschinis, Demosthenis, et aliorum graecorum vel spuriae sunt vel dubiae. Posterioribus tamen temporibus graeco lepore et gravitate scripserunt Libanius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Isidorus Pelusiota. Atticorum autem gratia venustate ac vi praestat Basilius, cui merito cedit ultro ipse Libanius.

Latini.

Ex Latinis Tullius, Seneca, et Plinius iunior maxime celebrantur. At sermones seu tractatus potius, quam epistolas Seneca scribit: Plinius puro et eleganti stilo utitur; attamen nimium studium, antitheta, sententiarum acumina, et concisae periodi non parum officiunt simplicitati, facilitati, et gravitati Romanorum. Unus ergo Tullius est omnium absolutissimus, qui tot tamque varii generis exaravit epistolas, ut in illis perfectum, integrum atque admirabile aureae aetatis monumentum habeatur. Non solum enim infinitas Tullii epistolas, sed cum iisdem quam plurimas eius aetatis scriptorum litteras habemus. Ciceronis dictionem accuratissime expressit Manutius; sed spiritum et vigorem etiam hausit M. A. Muretus: quem inter tot tamque insignes recentiores reliquis omnibus anteponit Heineccius. A Lagomarsinio et Zanottio paucas, sed toto romano lepore epistolas accepimus.

Italici.

Infinitos epistolarum scriptores enumerat Italia: sed emicant Bembo, Casa, Castiglioni, Caro, Gambara, Tasso T., Bentivoglio, Bonfadio, Magalotti, Redi, Galilei, Tolomei, Roberti, Bettinelli, Monti, Cesari, Leopardi: qui tamen omnes alius aliis maculis inficiuntur. Communi autem doctorum hominum iudicio maxime probantur Carus Bonfadius Redius. Sed Bonfadius in-

Qui maxime probantur?

terdum sententiarum levitate aut verborum redundantia peccat: Carus nimis gravis, nimis facilis videtur Redius. Quapropter Cari gravitas et facilitas Redii simul est temperanda. Sed cave ne nostrorum scriptorum epistolas in selectis quibusdam legas. Quis enim unquam repetens tot minutulas epistolas, quas Giardini tribus chartis congessit, epistolarum, non dico dignitatem, sed naturam, fines, legesve perspiceret?

Ratio complicandi obsignandique.

Reliquum esset, ut de complicandis etiam, obsignandisque epistolis aliqua diceremus. Sed hac in re nihil teneri potest, nisi probata nostrorum temporum consuetudo. Tantum enim haec valet, ut etiam cum latine scribimus, eum in titulis et subscriptione modum usurpare debeamus, qui a barbarie et novitate alienus, antiquitatis tamen adfectatione non reprehendatur. Plurimum itaque sententia Heineccii nobis probatur: qui, cum ad familiarem aliquem latine scribimus, veterum more, titulorum syrma omitti posse censet; at si viris magnis scribimus, tunc nemini auctor est, ut antiqua illa formula utatur. Satius tunc erit titulos quosdam honoris in vocandi casu epistolae praemittere, atque ad litterarum calcem, recentiorum more, adiungere subscriptionem. Atque haec de epistolis visum est e re tradere. Ceterum si quis brevius etiam vult praecipua hac in re praecepta assequi, adeat celeberrimam Sancti Gregorii epistolam, quam ex graeco in selectis litteris Gaspar Gozzi vernacule edidit.

Tituli.

PARTITIO TERTIA

De Facultate Oratoria

Quid Eloquentia?

Eloquentia universim est ea dicendi facultas, qua efficacius ad orationis finem obtinendum enitimur: ille enim eloquens habetur, qui ad, quod contendit, assequendum aptissime loquitur. Haec eloquentiae descriptio cum oratoriae facultati, tum ceteris scribendi generibus, uti epistolis, praeceptionibus, aliis convenit. At si eloquentia in suo veluti regno sit, tum vim facultatemque oratoris proprie spectat, atque ab Aristotele pulchre definitur : ''Εστω δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πίθανον . τοῦτο γὰρ εὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐστὶ τέχνης ἔργον. Sit autem Rhetorice facultas in re quaque videndi quod contingit esse idoneum ad persuadendum : hoc enim nullius alterius facultatis est munus [1]) : *primum autem oratoris officium est dicere ad persuadendum accommodate* [2]).

Quid oratoria?

Quid persuasio?

Persuadere autem est tum mentem revincere, tum animum movere. Ad quae requiritur validiorum argumentorum delectus, clara rerum expositio, spectata oratoris probitas, apta dicendi ratio, et venusta ac concinna motuum et vocis actio. Quare Tullius: *In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum , verba prope poëtarum, memoria iurisconsultorum, vox tragoedorum, gestus pene summorum actorum requirendus est* [3]).

Quid oratio?

Quas partes orator excipit oratione, quae est sermo ad aliquid tradendum suadendumque apte et decore compositus. Rhetoris vero officium est praecepta tradere, quibus oratio ab ipsis fundamentis excitari possit: quare ea praeceptorum probanda est series, quam orator in ipsa oratione elaboranda insistit. Iam vero orator cum ad orationem ordiendam accedit, primum cuiusmodi generis sit causa perspicit ; ut controversiam et propositionem constituat: deinde argumenta vestigat, quibus vel fidem faciat vel adhibeat motum: tum demum ipsas, quas invenit, res disponit ac orationem perficit. Tria igitur primum erunt praeceptorum capita: causarum constitutio, earumdem materies, et

Eiusdem praecepta.

1) Rhet. lib.1. c. 2.—2) Cic. I. Orat. XXXI.—3) I. Orat. XXVIII.

orationis dispositio: deinde eadem praecepta, quae sunt maxime communia, tum ad civilis tum ad sacrae eloquentiae genera deducentur, ac probatis actionis legibus absolvetur partitio: actio enim fere primas in omni eloquentia tenet. Civili et sacrae eloquentiae accommodanda.

CAPUT I.

DE CAUSARUM CONSTITUTIONE

Solent nunc temporis multum in orationis deformatione [1]) immorari, nec dubitant omnia oratoriae praecepta huc referre, ut, rerum chronologico aut logico, ut aiunt, ordine constituto, minutas quasque sermonis partes definiant, disponant, coniungant. Nos ut, vere fateamur, sic sentimus, ne auctores quidem, si quid boni componant, illis praeceptis inhaerere: liberius quoddam opus est oratio, nec alias patitur leges, quam eas quas mox in orationis partibus recensendis ex natura describemus. Quare generatim ea solum tractabimus, quae studium quidem et diligentiam oratoris acuant, ingenii vero alacritatem et affectus impetum moderentur, non restinguant. Generatim praecipiendum. Cum scribendum quid, dicendumve orator suscipit, debet in primis sibi singillatim proponere quem in finem dicere velit, seu quid dicendo velit assequi: puta, ut Ligarius perduellionis crimine liberetur, Pompeius in bellum Mithridaticum dux constituatur, Caesari grati animi significationes pateant. Quid prius oratori intuendum? Quem finem alicuius rei persuasione obtinebimus. At persuasio, quippe quae oppositionis aliquid et repugnantiae semper innuit, controversiam perpetuo implicitam habet: controversia autem gignitur a quaestione. Unde controversia? Nemo enim laborat, ut persuadeat id, de quo non disputatur, neque iure disputatur de re aliqua, si non sit obnoxia quaestioni, quae recte dicitur dubitabilis propositio, et controversiae propterea locum praebet. Iam quaestio alia infinita est, alia finita, quae proxime ad oratorem spectat, et cum ipsa causa confunditur: hinc fit ut ex quaestione et controversia oriatur causae constitutio, seu id, in quo tota causa consistit. Quid causae constitutio? Quare hic primum de quaestione universe; deinde de causarum generibus, quibus finitae quaestiones ad certa quaedam capita revocantur; tandem de controversia seu de causae statu dicemus: in controversia

1) *Piano del discorso.*

enim perspicue cognoscenda, graviterque tractanda optimi oratoris facultas maxime cernitur.

§ I.

De Quaestione Universe

Quid quaestio? Duplex est.

Quaestio est id circa quod totius causae cardo vertitur, et ex quo controversia nascitur. Duplex est: prima infinita, Graecis θέσις, Latinis Propositum, quae remotis personis temporibus et locis in utramque partem tractatur: ut, Praestat ne vitam in civitate ducere. Altera finita seu definita. Graecis Ὑπόθεσις, Latinis Causa et Controversia, quae ex adiunctis personarum locorum et temporum circumscribitur: ut Praestat ne Tullium Clodii insidiis circumventum in commota civitate vitam ducere.

Infinita necessaria oratori.

Quaestio infinita non videtur huius loci: sed quoniam causa, seu quaestio finita, continetur, uti in principio, in infinita, ad quam orator saepissime debet assurgere, imo omnia, ut ait Cicero, referre, necesse est aliqua saltem de infinita quaestione praemittere. Enimvero Tullius, ut probet Milonem reum non esse eo quod occiderit Clodium aggressorem, ostendit licitum esse *Vim vi repellere.*

Quaestionis cognitionis. Genus primum.

Quaestionis infinitae duo sunt genera: cognitionis alterum, cuius finis est scientia: alterum actionis, quod ad aliquid faciendum refertur. Cognitionis quaestio in tria genera distribuitur. Primum *sit nec ne?* ut, ius in natura est an in more: quod coniectura est vestigandum, et duas alias quaestiones parit: una est, *Possit ne aliquid effici;* ut si quaeratur num quis sapiens esse possit: altera *Quemadmodum quid fiat;* ut quonam pacto virtus acquiratur.

Genus alterum.

Alterum *Quid sit?* ut sitne ius id quod maiori parti est utile. Hoc definitionis est, et duo etiam quaestionis habet genera: in altero aliud an idem sit disputamus et ex rerum definitione iudicium facimus; ut libertas et licentia, perseverantia et pertinacia: in altero descriptio personae vel rei alicuius, et quasi imago est exprimenda, ut cum, qualis sit avarus, quid superbia, depingimus.

Genus tertium.

Tertium denique *Quale sit?* ut, iuste vivere est ne utile? Id qualitatis dicitur: quae aut simpliciter quaeritur; ut sitne utile in republica administranda versari, sitne aequum amicos cognatis anteferre, honestumne sit pro amico periculum aut invi-

diam subire: aut comparate, idque dupliciter, vel comparatione facta duorum, vel multorum superlatione: non enim solum quaeritur quid utile, qnid aequum, quid honestnm ; sed etiam quid utilius, quid aequius, quid honestius; atque etiam quid honestissimum, quid aequissimum, qnid utilissimum.

Actionis duo sunt genera: unum de bono persequendo, et de malo vitando: alterum de commodo usuque rerum, quibus bene vel male uti possumus. Nam tria rerum genera nobis parantur: quaedam bona, quae natura persequimur, ut gloria: quaedam mala, quae declinamus, ut invidia: hinc prima actionis quaestio: Quibus rebus adipisci gloriam possumus, aut quomodo invidiam vitabimus. Quaedam autem sunt media, utpote quae bene vel male adhiberi possunt, ut paupertas, ut reipublicae administratio: hinc altera actionis quaestio: Quemadmodum est in paupertate vivendum, aut quemadmodum respublica administranda. Quaestionis actionis genera duo.

Ex infinita quaestione finita descendit: in omni enim generali utique inest specialis. Quod ut exemplis pateat, infinitae quaestiones sunt; An bellnm necessarium sit suscipiendum, An civis perniciosus reipublicae sit expellendus, An ab iniusto aggressore licet se armis defendere: finitae; An bellum Mithridaticum sit necessarium, An Catilina sit civis reipublicae perniciosus, An Clodius fuerit iniustus aggressor. Quis hinc non intelligit finitam quaestionem non posse cum dignitate tractari sine infinitae adiumento? Sed finita proxime ad orationis propositionem pertinet: facultas enim oratoris in animis hominum subeundis, in motibus ciendis, atque imprimis in ipsa voluntate expugnanda maxime explicatur: quae ut obtineantur, necesse est, quaestionem infinitam adiunctis rerum et personarum circumscribere, et finitam hoc est causam constituere: ea enim animos conciliant, motus excitant, flectunt voluntatem, quae propius homines attingunt. Quaestio finita ex infinita. Est propria oratoris.

Causa recte dici potest: quaestio finita, quam orator pertractandam suscipit; idque semper ut persuasionem aliquam inducat. At causa sic inspecta adeo generalis est, ut omnes divisiones, quas tribuimus Proposito, admittat, nec adhuc viam oratori aperiat, qua ille proposita quaestione et propositionem statuat, et ad argumenta, quibus eam conficiat suadeatque, deducatur. Quare Rhetores quaedam genera causarum constituerunt, ut genere causae cognito, natura quoque et eius tractandi ratio Quid causa? Unde causarum genera?

facilius cognosceretur. Quae genera nos persequimur: tum ne discedamus ab Aristotele, a Tullio, a Fabio; tum quia et ratione probantur et multo usui et commodo esse solent.

Quid sunt? Causarum genera sunt capita quaedam artis dicendi, ad quae omnes orationum divisiones revocari possunt. Nam cum eloquendi facultatis materies longe lateque pateret, veteres tribus orationum generibus, quae causarum genera vocarunt, eam sapienter definiverunt: deliberativo, demonstrativo, et iudiciali.

Tria sunt. Homo enim ad aliquid movetur vel utilitate, quae in deliberatione, vel honestate, quae in laudatione, vel iustitia et aequitate, quae in iudiciis spectatur. Quae partitio ex causarum fine sumitur: potest autem ex auditorum etiam genere fieri. *Nam*, ait Tullius, *aut auscultator est modo qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiaeque moderator: ita ut aut delectetur, aut statuat aliquid: statuit autem aut de praeteritis, ut iudex; aut de futuris, ut senatus. Sic tria sunt genera, iudicii, deliberationis, exornationis* [1]).

Recentiorum divisio. Recentiores ex loco tantum ut ipsi aiunt, ut ego credo, ex auditoribus ex loco, et ex re ipsa ita dicendi genera dividunt, ut eloquentia alia publicarum concionum sit, alia fori, alia sacri suggestus. Quae divisio, etiamsi tractationi videatur interdum accommoda, veteri tamen causarum generum partitioni nullo modo potest suffici: nam ut alia mittam, publicarum concionum eloquentia non deliberativum solum, sed exornativum quoque genus admittit: sacra vero eloquentia in deliberativo et exornativo aeque versatur: quare recentiorum divisione non possumus diversi generis argumenta ad certa capita revocare: cuius rei gratia genera causarum sunt inventa. Itaque divisione illa praetermissa, veterum genera omnino retinemus.

§ II.

De triplici causarum genere

Causae ad certum genus referuntur. Orator, quacumque de re dicit, de actione aliqua dicit, eamque, si facienda proponitur, suadet vel dissuadet; si est facta, vel defendit aut accusat, vel laudat aut vituperat. Iure propterea singulae orationes ad certum et proprium causarum genus re-

1) Part. Orat. III.

feruntur: ad deliberativum scilicet, vel ad iudiciale, vel ad exornativum. Sunt quidem aliquae orationes, quae plura genera videntur complecti: laudationem et iudicium, ut est oratio pro Marcello; deliberationem et laudationem, ut est oratio pro Lege Manilia; iudicium et laudem, ut est oratio pro Archia Poëta: quae orationes forte non incongrue cum Mureto mixti generis dicerentur. Sed cum in qualibet oratione sit tum quaestio primaria, tum secundariae et incidentes, simplicius quaevis oratio a primario causae genere nominatur.

Genus demonstrativum.

Iam, in causarum generibus principem locum habet demonstrativum, quo nullum aliud est uberius ad dicendum; nam in eo orator explicare potest omnes dicendi virtutes: nullum utilius genus civitatibus; quia, ut ait Tullius, non ad bene dicendum tantum sed etiam ad honeste vivendum valet, hortatur ad virtutes, revocat a vitiis, commendat bonos, vituperat improbos, implet animos admirabili quodam amore virtutis [1]). Praeterea deliberatio utitur iisdem rebus aliter positis honestis et utilibus, ac in ipsis iudiciis generi exornativo plurimus saepe locus est.

Eius finis et partes.

Sed ad rem propius accedamus. In quolibet genere spectantur finis partes et materia. Generis demonstrativi, quod Graecis Ἐπιδεικτικὸν, et Ἐγκωμιαστικόν dicitur, finis est honestas: partes laus, qua dignitatem, et vituperatio, qua indignitatem rei prosequimur: materia autem quaecumque sunt cum virtute aut cum vitio coniuncta. *Omnia enim,* inquit Cicero, *sunt profecto laudanda, quae coniuncta cum virtute sunt, et quae cum vitiis vituperanda* [2]) Quae autem virtuti vel vitio obnoxia sunt, numerantur: Personae, Quasi-Personae, Res, et Facta. Personae sunt Deus, Angeli, Homines: Quasi-Personae animalia bruta: Res sunt, loca, tempora, maria, flumina, arbores, lapides, similia: Facta demum sunt bella, victoriae, et quicquid praeclare ab aliquo gestum est, ut pericula pro amicis subiisse, pro patria vel salute animarum et gloria Dei fudisse sanguinem.

Materies.

Laudis fons.

Laus ab uno honestatis fonte est petenda: sed quoniam ea etiam laudantur, in quae honestas non cadit, ut sunt res inanimes vel rationis expertes, honestas latius sumitur, et dicitur aliquod honestum vel quia virtus est, vel quia virtutem gignit,

1) V. Cic. Par. Orat.—2) Part. XXI.

vel quia virtutis est effectus. Nomine virtutis veniunt cum mentis tum animi praeclari quique habitus; ut artes ut scientiae, ut iustitia, ut temperantia: quod virtutem gignit, aut extra nos est, ut omne Dei beneficium, exempla maiorum vel externorum, educatio, opes, et quicquid virtutis instrumentum esse potest; aut cum nobis coniungitur, ut ingenium, iudicium, memoria, morum facilitas, forma, sanitas, robur. Effecta virtutis sunt res quaeque cum virtute gestae, monumenta, tropaea.

Laudis Loci. Dei, Angelorum, et Hominum laudes proxime ducuntur a sacris litteris, a Patrum scriptis, a philosophia, ab historia. Quasi-personae laudantur a genere, a robore, a colore, ab iis quae vel sensuum vel corporis dotes spectant, a loco, ab utilitate, quam homini afferunt. Res ab auctore, a magnitudine, ab elegantia. a praestantia, a copia, ab utilitate celebrantur. Factorum tandem laudes maxime sumuntur ab honesto, utili, glorioso. Ab his enim tum scientiarum tum virtutum commendatio proficiscitur, uti videre est in Tullio pro Archia [1]) et pro Lege Manilia [2]).

Deliberativi Finis. Genus deliberativum, graece συμβουλευτικόν et ἐκκλησιαστικόν, id suscipit ut utilia suadeat, absterreat a noxiis: eius igitur finis est utilitas, quae tamen cum honestate coniungatur: Partes. nihil enim est utile quod non sit honestum. Eiusdem partes sunt tum *suasio*, qua ad aliquod faciendum impellimus, tum *dissuasio* Quid est hic *Suadere?* qua a faciendo reducimus. Verum hic *suadere* non est probare et fidem facere: hoc enim est omnibus causarum generibus commune: sed pressius est consilium dare, ut aliquid suscipiatur vel omittatur: ut temperantia, puta, excolatur, ut scientiae adhibeatur opera, bellum non inferatur, non vindicentur iniuriae.

Deliberationis materies. Materies generis deliberativi sunt res libere contingentes, neque tamen omnes, sed eae quae nostram potestatem non effugiunt, ut: An iubenda lex; An bellum suscipiendum; An instituenda Academia; An templum aedificandum; An vitanda spe- Argumenta. ctacula. Ad suadendum argumenta generatim peti possunt ab utili et honesto: nam possibile subintelligitur, necessarium ad utile vel honestum revocatur, facile et iucundum tunc adhibentur cum iam patet utilitas et honestas. Cum itaque aliquid suadendum proponitur, inspecta rei natura et locorum ac personarum conditione, quaerendum est quid utilitatis et honestatis sit

1) VI. VII.—2) XIII. XIV. V. Cic. Part. XI. XXII. XXIII.

ex re obventurum: tum ea seligenda argumenta quae facilius auditorum mentes convincere et animos movere possint [1].

Iudiciali generi, quod graece δικανικόν est, finis proponitur aequitas: leges enim et quae proficiscuntur a legibus et iure civili ad facilitatem et aequitatem solent ab oratore referri. Iudiciorum partes sunt Accusatio et Defensio: materies generatim est ius. Ius in privatum et publicum Romani [2]) dividebant: hinc iudicia privata, quae nos *civilia* dicimus, et iudicia publica, quae *criminalia* appellamus: illic proprie ius cuique in rem suam vindicatur; hic crimen absolvitur vel punitur. Sed et factum quodlibet legibus subiicitur, et ius factis eorumque adiunctis involvitur. Quare etsi in prioris generis causis plurimum de iure et legibus, in aliis de crimine et poena potissimum disputetur; in quolibet tamen foro tum ius tum facta uberrimam materiam praebent. Iud.cii finis. Partes. Materies. Leges et facta iunguntur.

Ius vero universim acceptum complectitur legem et ea omnia, quae vim legis habent. Lex alia est naturalis, qua innata vi praecipiuntur religio, pietas, gratia, observantia, veritas, cetera: alia positiva, quae non ducitur a natura, sed naturae legibus est consona; eaque vel est divina, ecclesiastica, canonica; vel humana, quae est gentium, aut civilis; seu a gentibus recepta, vel a principibus sancita. Vim legis habent omnia testimonia scripto exarata, quae tabularum nomine dicuntur, et sunt pacta, conventa, contractus, stipulationes, testamenta, et huiusmodi. Legum partes.

In factis spectantur potissimum adiuncta personarum, loci, temporis: tum causae, eventa, iudicia, testimonia imprimisque rerum negotiorumque natura: omnia enim haec et causae argumenta et dicendi copiam in iudiciali genere suppeditant; praesertim cum status causae est coniecturalis, de quo mox dicendum. Spectandum in factis.

§ III.

De Controversia et Causae Statu

Ut de re aliqua eloquenter dicamus, primum contemplamur rei vim et naturam, et quo dicendi genere contineatur; deinde quid proxime disputetur: ut causae quasi momentum statuatur. Quid controversia?

1) V. Cic. II. Orat. IX.—2) V. Aula Ant. Rom. P. I. c. 7.

Controversia propterea est animo volvenda, quae est: conflictio duarum propositionum, quarum una adfirmat, altera negat: ut Fecisti, Non feci: Iure feci, Non iure fecisti: Pompeius scientia militari excellit, Pompeius scientia militari non excellit. Facile est perspicere causae statum hinc oriri, hoc est id quod et orator praecipue sibi obtinendum, et iudex aut auditor spectandum maxime intelligit: [1]) in hoc enim causa consistit: ut, Fecisti, Non feci: An feceris. Sed Tullio status est idem ac controversia.

Quid status?

Tres sunt status.

Tres autem sunt status, seu controversiae oratoriae: tria enim praecipue de re quapiam quaeri possunt. *An sit?* quod est coniecturae. *Quid sit?* quod est definitionis. *Quale sit?* quod est qualitatis sive accidentis. Status itaque triplex: coniecturalis, definitivus, et qualitatis. Cum qui accusatur, reponit *Non feci*, status est coniecturae: si respondet *Quod feci, non est hoc, vel hoc nomine non est appellandum*, status est finis seu definitionis: si tandem dicit *Quod feci, iure et recte feci*, status est qualitatis. Quare in oratione pro Coelio, in qua quaeritur An Coelius venenum paraverit, status est coniecturalis: in oratione pro Plancio, cum quaeritur utrum pecuniae largitio, ab ipso facta, sit ambitus, status est definitionis: status qualitatis est in oratione pro Milone, ubi quaeritur iure an iniuria Milo Clodium occiderit.

Status coniecturalis.

Status coniecturalis est ille, qui nascitur ex contentione de re aliqua vel praeterita vel praesenti vel futura. Quaeri enim coniectando potest: An res fuerit, An sit, An futura sit. Atque huc referuntur quaestiones: Unde orta sit vel oriatur res: Quibus causis effecta sit vel efficiatur: An ab eo quod est in aliud mutari possit. Plerumque tamen status coniecturalis est in re praeterita: quare Fabius tres omnino coniecturales locos recenset: An voluerit, An potuerit, An fecerit [2]).

Status definitionis.

Status definitivus est ille, in quo rei natura aut nomen in controversiam venit: quare rerum definitionibus opus est. Quaelibet autem definitio tum ex hominum opinione formari debet, tum multis rationibus confirmari; ut orator factum aliquod criminosum vel non criminosum fuisse ostendat. Interdum necesse est etiam cum adversarii definitione suam disserendo conferre, ut pateat utra sit honesta, utilis, aequa [3]).

Status qualitatis.

Qualitatis status dicitur ille, in quo non natura aut nomen,

1) V. Quint. Lib. III. c. 5.—2) Lib. VIII. c. 2.—3) V. Cic. II Inv. 17.

sed rei attributa bona vel mala exquiruntur: unde tamen vis etiam naturae et genus ipsius rei cognoscitur:*generalis* propterea a Tullio dicitur. Duplex est:*Negotialis* et *Iuridicialis*, prout qualitas est futura vel praeterita. Negotialis enim ex controversia de re futura vel facienda oritur, et ab eodem Tullio definitur: *Constitutio, in qua quid iuris ex civili more et aequitate sit consideratur* 1) Quare eius loci sunt aequum, utile, honestum, gloriosum. Quos locos Cicero pertractat in oratione pro Archia, ubi quaerit sitne Archias ex lege Plautia Papiria in civitate retinendus. Est duplex: Negotialis.

Status autem Iuridicialis nascitur ex controversia de re iam facta, et, ut eius nomen indicat, semper cum iure coniungitur. Definitur a Tullio: *Constitutio, in qua aequi et iniqui natura, et poenae aut praemii ratio quaeritur* 2) Prout autem ex sese vel aliunde argumenta desumit, iuridicialis status distribuitur in absolutum et assumptivum. Absolutus habetur ille, cuius qualitas in se iusti rationem continet, qua factum defendatur: utcum quis concedit factum, sed iure admissum contendit: puta, Milo iure interfecit Clodium. Iuridicialis. Absolutus.

Assumptionis vocatur status,cum eius qualitas excusatio quaedam est, qua non factum sed eius voluntas purgatur, qui factum admisit. Huius defensionis partes quatuor a Tullio recensentur : Comparatio , Relatio criminis, Remotio criminis, et Concessio. Comparatio seu compensatio est, cum factum per se iniquum ex eo defenditur, quod si aliter res gesta esset, vel deterius aliquid, vel nihil boni obvenisset: ut, si quis dux recte arma hostibus permisisse contenderet, ne iis servatis omnes milites interirent. Relatio criminis seu recriminatio est, cum in eum ipsum, cui illatum est damnum, culpa confertur: quod facit Cicero cum,ut defendat Milonem, ostendit Clodium snipsius mortis causam fuisse. Remotio seu translatio criminis est cum crimen in alium ad causam non pertinentem, aut in rem, quae in iudicium vocari nequit, transfertur: ut Legati Rhodii qui de non obita legatione accusati, obiectum crimen in Quaestores, qui pecuniam, dari solitam, non dederint, reiiciunt: et apud Plutarchum in vita Pyrrhi quidam iuvenes vini impotentiae tribuunt contumelias, quibus audacter regem oneraverant. Concessio denique est, cum reus consulto fecisse negat, petitque Assumptivus. Comparatio. Relatio criminis. Remotio criminis. Concessio.

1) I. Inv. 2.—2) Ibid.

excusationem ab imprudentia, a casu, a necessitate : ad hanc confugit Tullius pro Ligario. Cui purgationi plerumque subiici solet deprecatio, uti praestat idem Cicero ibidem, praesertim ad extremum orationis [1]).

CAPUT II.

DE CAUSARUM MATERIE

Orationis vis. *Ratio omnis dicendi tribus*, ait Tullius, *ad persuadendum rebus est nixa : ut probemus vera esse ea quae defendimus : ut conciliemus nobis eos qui audiunt : ut animos eorum ad quemcumque causa postulabit motum vocemus* [2]). Quamquam igitur causae seu orationis materies proxime est quaestio et controversia, quae inde oritur; constituta tamen controversia et propositione, orator exquirit argumenta, quibus et fidem faciat iis, quos in suam sententiam vult deducere, et motum eorum animis, ad conciliandum vel persuadendum, afferat: ratiocinatione enim et affectu eloquentia constat. Argumenta huiusmodi sunt materies remota causarum, atque haec est, de qua nunc quaerimus. Age, argumenta duplicis sunt generis: alia ad propositionem confirmandam sunt comparata, et dicuntur demonstrativa, graece ἀποδεικτικά: alia ad animos movendos: quae si ad conciliandum, ἠθικά, si ad concitandum sedandumve adhibentur, παθητικά nuncupantur. Non solum autem duplex hoc argumentorum genus invenire, sed rationem etiam orator excogitare debet, qua eadem augeat et amplificet non copioso et ornato solum dicendi genere, quod est facundiae: sed gravi et vehementiori rerum explicatione, in quo potissimum vis eloquentiae proditur [3]) Tria itaque hic sunt quaerenda: primo quae sunt argumenta ad fidem faciendam ; deinde quae ad animorum motus varie tractandos pertinent; postremo quae est amplificandi ratio.

Materies proxima.

Materies remota.

Ratio camdem tractandi.

1) V. Chrys. Hom. in Epis. Flaviani reditum.—2) II. Orat. XXVII. 3) V. Cic. l. c.

§ 1.

De argumentis ad fidem faciendam

Quoniam arguere est ostendere seu patefacere, argumentum erit id, unde natura alicuius rei cognosci potest, signum, indicium, coniectura. Quintiliano argumentum est: Ratio certa vel probabilis, iudicium rei praestans, qua colligitur aliud per aliud, et id quod est dubium per id quod non est dubium confirmatur [1]. Semper itaque in argumento contineri debet aliquid quod certum aut sit aut videatur. Quae pro certis habentur sunt, quae sensibus percipiuntur, quae unanimi hominum consensu tenentur; quae legibus sunt constituta, vel consuetudine et moribus firmata; quidquid inter partes convenit. Post certa sequuntur credibilia, quae in tres classes tribuuntur: alia enim fere semper accidunt, ut filios a parentibus amari: alia saepius, ut eum, qui recte valeat, in crastinum perventurum : alia quae interdum, ut furem non omnia surripere.

Quid argumentum?

Diversae naturae est.

Id vero, unde argumentum petitur, dicitur sedes vel locus argumenti: loci alii insiti sunt, qui inhaerent ipsa re, graece ἔντεχνοι; alii assumpti sive remoti, qui sine arte putantur, graece ἄτεχνοι. Qui rebus ipsis sunt infixi, hi praecipue censentur: Definitio, Enumeratio partium, Genus, Forma, Causa, Effectus, Antecedentia, Consequentia, Adiuncta, Similia, Dissimilia, Exempla, Comparationes. Est autem definitio: *Earum rerum, quae sunt eius rei propriae, quam definire volumus, brevis et circumscripta quaedam explicatio* [2]. Quae fit ex genere et differentia, ut; animal est corpus sensu praeditum: ex genere et proprietate, ut; ales est animal volatile: a similibus, ut; continentia est in rebus propriis, quod abstinentia in alienis: a dissimilibus, ut; mater est quae cura et amore filios educat, noverca quae negligentia et invidia: a contrario, ut; *Virtus est vitium fugere et sapientia prima Stultitia caruisse*. Definitioni affinis est descriptio , quae est fusior et aperta personarum rerumque explicatio, et ab oratore definitioni anteponitur: nam in genere praesertim deliberativo et demonstrativo, ut res ab

Loci insiti.

Quid definitio?

Varie definimus.

Quid descriptio?

1) V. Quint lib. V. c. 10.—2) Cic. I. Or. XLII.

omnibus teneantur, orator assequitur non illa subtili dialecticorum definitione, sed evidenti rerum descriptione [1].

Usus definitionis.

Definitio confirmationi inservit et amplificationi. Arguit Tullius: *Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est, vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae: siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum* [2]. Amplificat Chrysostomus: Σταυρὸς Χριστιανῶν ἐλπίς, σταυρὸς τυφλῶν ὁδηγὸς, σταυρὸς πλανωμένων ὁδός. σταυρὸς ἀδικουμένων ἔκδικος, σταυρὸς πλουσίων χαλινὸς, σταυρὸς ὑπερηφάνον ἀντιτάγμα. σταυρὸς δουλευόντων ἐλευθερία, σταυρὸς βαρβάρων φιλανθρωπία, σταυρὸς βασιλέων μεγαλοπρέπεια..... [3].

Enumeratio.

Saepius argumentatio constat enumeratione, quae est oratio genus, vel totum aliquod in suas partes distribuens, ut modo affirmando vel negando, modo partim affirmando, negando partim rei naturam cognoscamus. Haec autem enumeratio complectitur etiam adiuncta, causas, effecta, eventus, antecedentia, consequentia. Exempla sunt obvia. *Iam vero virtuti Cn. Pompeii, quae potest per oratio inveniri* [4]*?*

Genus et Species.

Genus dicitur id sub quo plures partes, quae vocantur species aut formae, comprehenduntur: ut animal quod hominem et belluas, ut virtus, quae iustitiam temperantiam fortitudinem prudentiam, ut arbor, quae platanum, cypressum, pinum, abietem complectitur. A genere Archiam laudat Tullius: *Sit igitur sanctum apud vos humanissimos homines hoc Poëtae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci...* [5]. Sed genus debet esse proximum: tunc enim genus cum thesi facile confunditur: a thesi autem ad hypothesim veluti a genere ad speciem optima est argumentatio. Verum si genus sit remotius, raro a genere ad speciem licet argumenta petere cum dignitate: nam facile est a re proposita longius aberrare, et audire poëtam: *Sed dic, Posthume de tribus capellis:* ut si quis de caritate dicturus, in virtutis laudes excurreret.

Causae quatuor.

Gravius confirmamus a causis et effectis, quae rem proxime

1) V. Quint. VII. c. 3.— 2) Pro Marc. VIII.— 3) Hom. in Cr.— 4) Pro Leg. Man. V. *Segneri* Pan. del Nome di G. n. 2. 3.— 5) Pro Arch. VIII.

attingunt. Causa universim est id unde aliquid proficiscitur. Quare causa est efficiens, quae aliquid efficit vel producit: finalis, quae est ratio propter quam aliquid fit: materialis, quae est ipsa materia, ex qua aliquid fit: et formalis, quae speciem formamque rei tribuit. In Iovis simulacro Phidias est causa efficiens: finalis duplex; *operis*, seu ipsum Iovis simulacrum, et *operantis*, seu gloria, pecunia, alia: materialis marmor: formalis imago, seu species illa, quam, prius in mente conceptam, in marmore Phidias expressit, ut Iovis simulacrum haberetur. Ex causis docet Tullius Clodium insidias Miloni fecisse: *Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium?* 1)

Effectus, seu effecta, sunt ea, quae oriuntur ex causis, quibus cum sint similia, magnam argumentorum segetem praebent. Idem Tullius nomine Archytae voluptatem ab effectibus exagitat: *Accipite enim, optimi adolescentes orationem Archytae Tarentini magni in primis et praeclari viri...* 2). Effectus.

Loco causarum vel effectuum numerantur interdum antecedentia vel consequentia: priora dicuntur ea, quibus positis, necesse est alia consequi, ut: ortus est sol; ergo dies est. Altera sunt quae rem necessario praesumunt, ut: est copia fructuum; ergo et florum fuit. Sed haec dialecticorum sunt propria: eadem orator latius accipit; ut sint ea omnia quae rem vel praecesserint vel sint consecuta. Antecedentia et Consequentia

Ubertima argumentorum seges sunt adiuncta: ea nimirum, quae cum re non necessario, sed probabiliter sunt coniuncta, seu quae rem quoquo modo circumstant. Adiuncta. Tria genera numerantur: Adiuncta rei, ut locus et tempus: Adiuncta animi et corporis, ut scientiae, artes, virtutes, vitia, valetudo, pulchritudo, deformitas: Adiuncta fortunae, ut genus, opes, honores, divitiae, paupertas, inimicitiae. Quorum tria genera. Ex his facile ducuntur argumenta: Plana est Apulia, facile sternuntur viae: Inculta est Calabria, difficile victu est: Hyems erat, exercitum non duxit: Autumnus propinquabat, fructuum patebat ubertas: Militiae peritus, manus egregie apparabit: Cupidine regni incensus, bellum in patriam infert: Aeger erat, domo non exiit: Deformis est, contemptui habebitur: Nobili genere natus, magnum animum prae se tulit: Deliciis affluens luxui se corrumpendum dedit. Praeci-

1) Pro Mil. XII.—2) De Senect. XII.

pua adiuncta, ut facta et eventa diiudicemus, sunt in vulgato versiculo: *Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando*. Facile est in qualibet excellentium auctorum oratione adiuncta eorumque vim perspicere: sed praestat fere omnia contemplari in oratione Tullii pro Milone.

Similitudo. Similitudo ad illustrandum, exemplum ad probandum etiam maxime valet: in hoc autem differunt, quod exemplum sit rei gestae utilis ad persuadendum commemoratio; similitudo rerum, ceteroqui disparium, collatio in eo, in quo conveniunt. Similitudinem et exemplum coniungit Tullius: *Iam hoc non ignoratis...* [1]). Exemplis utitur Segnerius concione tertia. A dissimilibus etiam argumenta petuntur [2]).

Exemplum.

Comparatio. Comparatio est oratio, qua duo vel plura in tertio aliquo, quod illis sit commune, conferuntur. Comparamus autem A minori, ut: *Maiores vestri saepe, mercatoribus ac naviculatoribus iniuriosius tractatis, bella gesserunt; vos, tot civium Rom. millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?* [3]). A pari: *Quare ista coniuratio, si patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi. Quem cum videas hoc honore, auctoritate, virtute, consilio praeditum, non dubitasse, quin innocentem P. Sullam defenderet, quaero cur qui aditus ad causam Hortensio patuerit, mihi interclusus esse debuerit?* [4]). A maiori: *Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercule mei, si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? Et si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem: tu cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum praesentiamque vitare?* [5]).

Loci remoti. Loci remoti sunt ii, qui, cum ipsa re non inhaerent, aliunde assumuntur. Ad testimonium a Tullio revocantur: siquidem sola auctoritate nituntur. Testimoniorum duo sunt genera: divinum et humanum: Divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, et responsa sacerdotum, haruspicum, coniectorum:

1) Pro Cluent. XXV — 2) V. Cic. Pro Mur. III.— 3) Pro Man. V.
4) Pro Sull. II.—5) I. Cat. VII.

quae omnia ethnicorum erunt : apud nos valent solum oracula, vaticinationes, responsa sacerdotum, sed meliori sensu. Humanum, quod spectatur ex auctoritate et ex voluntate, et ex oratione aut libera aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quaesita. A Fabio sex numerantur: Leges seu praeiudicia, Rumor et fama, Tabulae seu documenta scripto exarata, Iusiurandum, Tormenta seu quaestiones, denique Testes [1]). Nolim tamen tormenta quidquam unquam probasse nisi tortorum barbariem.

§ II.

De argumentis ad animi motus tractandos

Adfectuum vis.

Neminem latet, *maximam vim*, ut inquit Cicero, *existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, misericordiamque revocandis;* [2]). Id autem obtinemus adfectuum cognitione imprimisque usu. Liceat propterea nobis aliqua de affectibus dicere; ut breviter noscamus saltem, qui quibusque rebus sint vel excitandi vel sedandi vel conciliandi: haec enim tria orator praestare debet.

Quid adfectus? Eorum Genesis.

Adfectus, quos Graeci πάθη, Latini motiones animi vocant, sunt: Sentientis animae ex boni vel mali opinione natae commotiones. Quae sic gignuntur : primo obiicitur cognitioni res bona vel mala: deinde cognitione *reflexa*, qua actus boni vel mali rationem inducere incipit, rem libere perpendimus; possumus enim primam cogitationem amplecti vel respuere: tertio rei veluti imaginem per evidentiorem cognitionem in mente exprimimus: quarto de re proxime iudicamus eamque bonam vel malam, iure vel iniuria, ducimus: quinto, ex hac animi opinione, delectatione movemur vel dolore: sexto ex alterutro ad amorem vel odium impellimur. Sic enim nati sumus, ut quemadmodum intellectus ad verum, ita voluntas ad bonum feratur, atque ut ille a falso, ita haec a malo abhorreat. Itaque moventur universim adfectus primum rei repraesentatione; deinde optima rei descriptione et consideratione accurata: tertio viva et vehementi rei imagine ab oratore in animis expressa: atque ad hoc conferunt tum metaphorae et figurae, tum interdum digressiones.

Adfectus motio.

1) Inst. lib. V. c. I.—2) Orat. XII.

Unde et quid amor?

Cognito evidenter bono, sequitur in voluntate amor, desiderium, spes, et voluptas seu gaudium: sed spei est affinis confidentia. Amor Aristoteli est appetitus in bonum, sive verum hoc sit, sive tale putetur: a Dionysio, vulgo Areopagita, definitur. Συγχρατικὴ δύναμις ἐν τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν, scilicet: vis quaedam, qua animus pulchro et bono adhaerescit, qua pulchrum et bonum est. Quare germanus amor belle dicitur: Adfectus quo alicui bene volumus, non nostra sed illius causa. Huius amoris natura postulat, ut ei, quem amamus, bona optemus, nec optemus modo, sed pro virili procuremus, ac id omne illius tantum gratia. Ad amorem vero excitandum vel conciliandum causae ac viae praecipue sunt: spectata alicuius animi voluntas, collata beneficia, comitas, humanitas, iustitia, prudentia, praeclara quaeque virtus: demum, quicquid est bonum, pulchrum, honestum, utile, iucundum.

Desiderium.

Desiderium oritur ex amore, ac est viva quaedam et constans cogniti boni, quod abest, videndi, assequendi, possidendi cupiditas. Differt a spe, quod spes est de bono futuro arduo; desiderium de bono futuro absoluto, quippe a difficultate abstrahit. Quam valeat hic adfectus ad bonum adipiscendum ex eo intelligi potest, quod praeclara quaelibet actio ex ardenti desiderio fere sequatur, et ad virtutes praesertim acquirendas nihil magis conferat, quam desiderium continenter incensum. Incenditur autem iisdem rationibus, quibus spes.

Quid est spes?

Spes, ait Tullius, e t expectatio boni: respicit aliquid futurum, sed certum et fixum ex parte rei, ex parte vero nostra fere arduum et difficile obtentu: erigitur autem primum honestate, pulchritudine, ac magnitudine rei: tum enumeratione bonorum, quae, spei compotes, sumus consecuturi: tandem certis propositis auxiliis ad illa comparanda. Auxilia sunt opes, vires, industria, prudentia, amici, gratia, humanus et divinus favor: quae omnia tanto magis spem excitabunt, quanto minora in adversariis esse scimus.

Quid confidentia?

Socia spei est confidentia, *Per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit.* [1]) Confidunt praecipue qui vel mala nondum sunt experti, vel a multis calamitatibus incolumes evaserunt: qui praefidenti sunt animo, ac opibus viribusque pollent, quibus impen-

1) Cic. II. Inv. LIV.

dentia mala avertant: sed omnium maxime, qui, cum nihil aggrediantur nisi divino nixi fretique auxilio, illud ubique praesto esse credunt. Quare confidentia oritur a copia, a praestantia, a praesentia auxiliorum, et a contentione nostrarum cum hostium viribus, quibus superiores esse videamur.

Cum quidpiam vehementer amatum in usum potestatemque nostram concedit, si exoritur motus quidam fervidus et vehemens, qui plerumque pulsat pectus, aperit cor, risum exciet, gaudium, laetitia, exultatio dicitur: si motus ille erit moderatior, sequitur hilaritas, quae mentem serenat, cor laetificat, vultum grato florentique colore perfundit: si tandem animus ex laetitia vel hilaritate recedit, fitque sedatior, oriri solet delectatio et voluptas, quae est voluntatis in bono suavissime conquiescentis tranquillitas. Qui adfectus, si praecipue quaeruntur, uti in exornationibus, cientur personarum rerum vel factorum bonitate, pulchritudine, praestantia: describuntur bonorum fructus, commodorum accessio, ludi, pompae, triumphi, regum, pontificum,clarorumque virorum in civitates ingressus, populi concursus, acclamationes, encomia: quaecumque enim rationem habent boni vel corporis vel animi, excitant in illo laetitiam, in hoc gaudium. Quod si hi adfectus adhibentur praesertim ad animos detinendos, tunc efferuntur exquisitis argumentis, novis, ingeniosis, utilibus, et oratione culta, molli, facunda, vernanti, picta, varie figurata.

Gaudium. Hilaritas. Voluptas.

Ad bonum assequendum valet et aemulatio, quae ex Aristotele est : *Dolor ex alienis bonis exortus, non quod illa alteri sint, sed quod nos illis careamus:* quare ad virtutes imitandas et praeclariora aggredienda nos excitat. Aemulatio ab invidia eo differt, quod invidi alios bonis spoliare discupiunt, aemuli simile bonum assequi exoptant. Movetur autem aemulatio, cum bona, quae in aliis excellunt, proponimus, eorumque praestantiam describimus: ad hoc iuvant maxime exempla maiorum, eorumque, qui vel patriae, vel sanguinis, vel alia cognatione ad illos attinent, quos exhortamur.

Quid aemulatio?

Obiecta mali cogitatione, oritur maxime odium, fuga seu horror, timor, et tristitia seu dolor. Odium est adfectus animi aversantis illud, quod malum esse sentimus. Quibus excitetur odium, patet ex eo quod de amore diximus: contrariis enim rebus movetur; ab insigni nimirum rei malitia et turpitudine, a probrosis personarum vitiis, improbitate, superbia, illatis iniuriis.

Ex malo cognito sunt odium.

Fuga. Horror. Fuga est conatus ille declinandi a re, quam malam cogitamus: horror est vehemens a re mala, praesertim turpi, aversatio non sine corporis animique commotione. Fuga et horror per-

Metus seu timor. celluntur iisdem rebus, quibus metus seu timor, qui est: Perturbatio exorta ex opinione mali impendentis, quod perniciem vel molestiam afferre possit: parum enim vel nihil timetur malum, nisi impendens sit, aut credatur. Ad metum faciunt: primo malum aliquod magnum ac grave denuntiare, illudque evidenter describere, ut bellum, pestilentiam, pauperiem, infelicem vitam, turpem mortem: deinde ostendere malum vel iam prope esse vel imminenti periculo, et magnis velut itineribus nobis accedere et ingruere: proponere demum mala non solum publica, sed maxime privata, quae nos magis movent, et acriori doloris sensu feriunt, eaque amplificare, praecludendo omnia effugia, quibus homines solent mala illa vel minuere vel nimis remota putare.

Quid tristitia? Quid dolor? Tristitia est motus asper animi ex cogitatione mali coniuncti aut impendentis: Dolor est asper motus corporis vel animi ex praesentia aut opinione mali. Orator itaque studebit tum rebus externis sensus percellere, tum malorum descriptione mentem implere, ut dolor et tristitia sentiatur: ac, quoniam hi motus proficiscuntur cum ex malo coniuncto, tum ex bono amisso, praestat vel magnitudinem et gravitatem unius, vel pulchritudinem, commodum, et praestantiam alterius ex adiunctis augere.

Motus sedandi. Non solum excitare, sed compescere etiam motus saepe debet orator. Accidit enim ut motus quidam iniqui sint turpesque, vel rei malitia vel excessus ratione: quare orator, praesertim sacer, omnia adhibebit, ut auditores a pravis adfectibus purget. Quod obtinebit ratione prorsus contraria illi, qua motus excitantur: diluendo nimirum vel tenuando ea omnia, ex quibus amor odium et qui suboriuntur adfectus solent vel turpiter foveri vel nimium incendi.

Qui frangitur odium? Odium in homines lenimus, si frangimus tristitiam illam ac rigorem, qui odiorum perpetuus est comes: si accendimus animos spe et cupiditate certa ab inimico vel ab aliis adipiscendi aliquid, quod utile sit, aut iucundum, aut honestum et gloriosum: si removemus causas, quibus odium exarsit; ut si ostendas eum, qui odio habetur, vel nihil id mereri, vel ea fecisse, quibus praeteritae omnes iniuriae sunt deletae: tandem ad misericordiam provocando, quae sola vel ferreis animis vim admovet.

Qui ira et indignatio?

Ira seu indignatio restinguitur mansuetudine et misericordia. Mansuetudo enim seu lenitas, ac clementia omnino opponitur irae: quare dicitur irae remissio et mitigatio. Mitigatur autem ira et conciliatur mansuetudo ingenua quadam culpae confessione et dolore, suspicionum remotione, supplicis demissione animi: dicimus quoque eum, qui peccavit, non dedita opera id fecisse, non egisse, ut eum, quem habet iratum, contemneret. Praeterea irato prudenter ostendimus, quantum mansuetudo praestet non solum vindictae cupiditati, sed claris etiam virtutibus: in reo autem commendamus probitatem, virtutem, bona praeterita, vel quae expectari possunt in posterum.

Quid misericordia?

Misericordia dicitur a Tullio: Aegritudo ex miseria alterius, iniuria praesertim laborantis. Quae miserationem conciliant, sunt omnia ἀναιρετικά, ut ait Aristoteles; hoc est quae perdendi perimendique vim habent: ut morbi, ut pauperies, senectus, supplicia, cruciatus, solitudo ab amicis vel propinquis, deformitas et debilitatio corporis, ac cetera damna, quae in corpora, animos et fortunas cadere solent. Quae omnia augentur praesertim ab adiunctis personarum, locorum, temporum.

Conciliationis partes.

Conciliatio in hoc est, ut et auditorum animos in nos nostrasque res propensos benevolosque faciamus, et ab adversariis rebusque nobis contrariis eos avertamus. Id fit argumentis, quae ἠθικά audiunt: ac primo si in oratoris moribus probitas benevolentia et prudentia elucet. Probitas apparebit ex sincero virtutis amore, benevolentia ex voluntate in auditorum commoda prona, prudentia ex quadam in dicendo modestia, nulla audaciae labe infecta. Ad haec, auditores pro dignitatis, aetatis, fortunae, regionum, ac morum diversitate, diversa ratione tractabimus: qua enim pronior se dabit via, illac facilius quosque ad veritatem ducemus. Refert autem multum virtutes aut vitia commemorare, et parvis descriptionibus ante oculos auditorum ponere; idque fere dissimulanter, et per antithesim, qua rerum gravitatem, vel clientium conditionem extollamus.

Conciliationis usus.

Verum nolim, quae de conciliatione dixi, ita adhibeantur, ut orator, sacer praesertim, in alliciendis animis nimium sollicitus videatur. Tota oratione ita sunt adspergenda, ut auditores sensim, et quin advertant, in nostras partes concedant: quare prudenter curabimus identidem, ut sententiae, ut figurae, ut praesertim adiuncta res omnes personasque, quas volumus, effingant [1]).

1) V. Cic. II Orat. XLIII.

§ III.

De Amplificatione

Quid amplificatio ex Longino?

Amplificatio definitur a Longino: Συμπλήρωσις ἀπὸ πάντων τῶν ἐμφερομένων τοῖς πράγμασιν ὁρίων, καὶ τόπων ἰσχυροποιοῦσα τῇ ἐπιμονῇ τὸ κατασκευαζόμενον [1]); scilicet: Plenitudo quaedam, quae ex omnibus rerum adiunctis terminis ac locis commoratione roborat orationem. Brevius a Tullio: *Est igitur amplificatio gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliat in dicendo fidem: ea et verborum genere conficitur et rerum* [2]). Eius, ut nobis videtur, tres sunt partes: in argumentis ad mentem revincendam efficax locorum expositio: in iis, quae motum concitant, vehemens dicendi ratio: in utrisque accommodus verborum ornatus, delectus, visque in primis [3]).

Amplificationis partes tres.

Efficax locorum expositio.

Ex locorum expositione oritur evidentia, qua res quaeque mentem pervadat. Ad efficacem locorum expositionem faciunt graves disertaeque definitiones et descriptiones; distincta rei, in suas partes distributae, explicatio; adiunctorum, causarum, effectuum, eorumque, quae rem praecedant vel consequantur, enumeratio: tum similitudo, comparatio, exempla, et figurae, quae ad illustrandum valent magis, ut hypothesis seu fictio a) sermocinatio, antithesis, communicatio, sustentatio, correctio. Praestat autem in primis, ut, rem ipsam diu multumque commentati, vel eius naturam ac vim graviter et copiose explicemus b), vel evidentiora adiuncta, ex quibus ipsa natura innote-

Quae figurae?

1) Περὶ ὕψους λόγου.—2) Part. Orat. XV.— 3) V. Cic. Part. Or. XV. XVI. XVII.

a) Il che acciocchè voi più chiaramente conosciate, io prego Vostra Maestà per quel puro affetto, che a prendere la presente fatica m'ha mosso, e se ella alcuna considerazione merita da voi, che non abbiate a schifo di ricevere nell'animo per breve spazio una poco piacevole finzione, e che vol degniate d'immaginarvi che tutte le città, che voi ora legittimamente possedete, sieno cadute sotto la vostra giurisdizione, non con giusto titolo nè per eredità, nè.... *Casa* Oraz. a Carlo V.

b) Se giammai sulla nostra fronte apparir potesse qualche ombra di rossore, non sarebbe egli in questo giorno, che ci stringe a pub-

scit, de industria evolvamus a), quo proposita veritas auditorum et menti haereat, et insideat animis.

Quod vehementem dicendi rationem spectat, ut oratio magnitudinem illam prae se ferat, qua auditores extra se rapi quodammodo videantur, ac illuc, quo vult orator, deduci, non solum magnis rebus sed magna etiam contentione prolatis efferri debet: ita enim poterimus eorum mentes qui audiunt, aut inflammare dicendo aut inflammatas restinguere. Quod consequimur si quae argumenta ad affectum praesertim adhibendum usurpabimus, non familiari quodam modo, sed graviori oratione et vehementioribus eloquentiae instrumentis significabimus.

Vehemens dicendi ratio.

Sine dubio enim qui dicit expugnatam esse civitatem, complectitur omnia, quaecumque talis fortuna recipit: sed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At si aperias haec, quae verbo uno inclusa erant, apparebunt effusae per domos ac templa flammae, et ruentium tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohaerentes, et infantium feminarumque ploratus, et male usque in illum diem servati fato senes: tum illa profanorum sacrorumque direptio, efferentium praedas repetentiumque discursus, et acti ante suum quisque praedonem catenati, et conata retinere infantem suum mater. Licet enim haec omnia, ut dixi, complectatur eversio, minus est tamen totum dicere, quam omnia 1).

Fabii doctrina.

Quare ad hunc locum maxime conferent figurae, quae ex incensis animi motibus proficiscuntur, ut hypotyposis, interrogatio, exclamatio, dubitatio, imprecatio, deprecatio, prosopopoeia, apostrophe b). Quae figurae tum adhibendae sunt, cum motio, in qua

Figurae quae et quando adhibendae?

blicare le umiliazioni portentose del Dio che annunziamo, le onte ricevute, le debolezze manifeste, i suoi languori, i suoi tormenti, la sua passione, la sua morte? Tuttavia, diceva il grande Apostolo, a petto... *Bourdaloue*, Pred. XXXII. pel Venerdì Santo.

a) Fate pur le vostre allegrezze in questo dì funestissimo, o peccatori... *Segneri*, Pred. XXXV. pel Venerdì Santo.

b) Oh gloriose, oh ben nate e ben avventurose anime, che nella pericolosa ed aspra guerra della Magna seguiste il duca e di sua milizia foste, e le quali per la gloria e per la salute di Cesare i corpi vostri abbandonando, ed alla tedesca fierezza del proprio sangue e di quel di lei tinti lasciandoli, dalle fatiche e dalle miserie del mondo vi dipartiste: vedete voi ora...

Casa, Oraz. a Carlo V.

1) Quint. lib. VIII. c. 3.

oratoria vis triumphat, eo pertingere debet, ut animos vehementer inflammet, rapiatque ad amandum vel detestandum, ad suscipiendum vel repudiandum aliquid magni momenti: nam tunc denique eloquendi facultas omnia orationis vela pandit, et suam omnem naturam prodit. Quod quidem non obtinetur, nisi ipse orator ab obiecta rei vel magnitudine et honestate, vel utilitate et gravitate, vel etiam malitia et atrocitate maximo animi ardore aestuque succendatur. Id autem omne a rerum, temporum, ac locorum conditione atque indole maxime pendet.

Ornatus, delectus, et vis verborum.

Ornatus tandem, delectus, et vis verborum tum vigent, cum aptioribus epithetis seu appositis, adverbiis, quae valde conveniunt, et praeclarioribus dicendi formis, prout res quaeque postulat, sententias nostras significabimus: cum appositas periphrases, probatas synonymias, prudentes hyperbolas, et verba quaedam, quae cogitationes nostras illuminent magis, usurpabimus: denique cum cuilibet dicendi generi proprias evidentioresque metaphoras adhibebimus, et diversis verborum figuris pro rerum ipsarum varietate utemur. *Nam illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas* [1]).

Res sensilibus formis vestiendae.

Sed hoc unum est maxime commune, ut orator sensilibus semper formis, ex sensilium rerum metaphoris, similitudine, imagine, exemplo ductis, mentem animumque auditorum subeat a). In hoc enim Oratio a ceteris dicendi generibus potissimum differt: homines autem sensuum praesertim et phantasiae opera delectantur, instruuntur, moventur.

Quare pauca de amplificatione?

Atque haec pauca de amplificatione praecepta, opportune exposita, non solum oratorio, sed omnibus scribendi generibus plurimum conferre possunt. Nam ceteri Rhetores operam saepe, ut minus dicam, hac in re perdunt; qui vel amplificationis naturam pervertunt, vel ante tempus explicant. Exempla ad ea omnia confirmanda, quae de augendi vi diximus, in medio sunt posita: imo plurima suis in locis iam attulimus [2]).

1) Cic. Orat. XII.—2) V. *Caussini*, lib. V. c. 2. et seqq.— *Ranalli*, Amm. lib. II. c. 2.

a) Quanto dunque dovrebbevi consolare mirar quasi in un'occhiata tanti gloriosi compagni, che vi danno animo? Portate il guardo in Egitto, voi vi vedrete un Giuseppe... *Segn.* Pred. VIII. n. 3.

Mi sapreste voi dire, signori miei, qual fosse il merito grande del patriarca Abramo... n. 4. Quando io mi voglio figurare questo giubilo, sapete che mi figuro?... n. 5.

CAPUT III.

DE ORATIONIS PARTIBUS

Causam aggressi omnia cogitando, quoad facere possumus, prosequemur, ac quum et argumenta causae et eos locos, quibus auditorum animi conciliantur, et illos quibus permoventur, vidimus atque cognovimus; tum ad orationem ipsam exordiendam accedemus. In qua primum conciliandi sunt eorum animi, qui audiunt; deinde demonstranda aut narranda res est, quae omnis reliquae orationis sit fons. Sequitur, ut ponatur id, in quo caput causae et summa constituitur. *Tum suggerenda sunt firmamenta causae coniuncte, et infirmandis contrariis et tuis confirmandis: namque una in causis ratio quaedam est eius orationis, quae ad probandam argumentationem valet. Ea autem et confirmationem et reprehensionem quaerit; sed quia neque reprehendi, quae contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes; neque haec confirmari, nisi illa reprehendas; idcirco et natura et utilitate et tractatione coniuncta sunt. Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando iudice, vel mitigando: omniaque, cum superioribus orationis locis, tum maxime extremo, ad mentes iudicum quam maxime permovendas, et ad utilitatem nostram vocandas, conferenda* [1]. Non immerito igitur ab aliquibus sex partes tribuuntur orationi: Exordium, Narratio, Propositio, Argumentatio, Motio animorum, et Peroratio. Fabius propositionem respuit: alii partitionem et egressionem addiderunt. Sed propositio perspicuitatis gratia admitti potest: ad propositionem partitio, egressiones partim ad argumentationem, ad motionem partim spectant: cum enim rem aliquam magnam narraverimus aut confirmaverimus, ad amplificationem aut affectum digredimur [2]. Itaque paucis ea explicabimus, quae in ea Rhetoricae parte traduntur, quam dispositionem appellant: est autem dispositio ordo et distributio rerum, quae demonstrat quid quibusque locis sit collocandum.

Quando aggredienda oratio?

Eius naturalis constitutio.

Sex partes habere videtur.

Quid dispositio?

1) Cic. II. Orat. LXXXI.—2) V. Quint. lib. IV. c. 3.

§ I.

De Exordio

Quid exordium? Principium. Insinuatio.

Exordium dicitur a Tullio: ***Pars orationis auditorum animos idonee comparans ad reliquam orationem*** Dividitur autem primo in duo genera: in principium, et insinuationem. Principium, graece προοίμιον, est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benevolum aut docilem aut attentum: insinuatio, graece ἔφοδος, est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum, ut docet Tullius [1]). Verum ipse Tullius videtur alibi tria exordiorum genera facere: ait enim: ***Omne autem principium aut rei totius, quae agetur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam et munitionem, aut quoddam ornamentum et dignitatem*** [2]).

Tria exordiorum genera.

Rei totius, quae agitur, significatio habetur, cum summam causae breviter exponimus, ut dociles sint auditores: quod facit Cicero pro Ligario et contra Antonium oratione tertia. Aditus ad causam et communitio est, cum auditorum animos, ut benevoli sint, insinuatione praeparamus, ea afferendo, quae nobis favent, et removendo, quae obesse possunt: huius generis est exordium pro Lege Manilia et pro Milone. Ornamentum denique et dignitatem habet exordium, cum causam laudibus exornat et in sublime effert, ut audientiam sibi faciat orator: atque huc pertinet exordium pro Marcello et pro C. Rabirio. Fateor equidem haec tria in uno exordio convenire posse, imo interdum debere; sed si rem diligentius inspicimus, ut plurimum, unum ex tribus assumitur, aut certe praecellit.

Abrupte dicere.

Sunt qui aliud exordii genus vocant abruptum vel ex abrupto: sed abrupte dicere est sine exordio dicere, vel quia vehementiori animi motu ad ipsam statim causam aggrediendam ferimur, vel quia nihil opus est praefari. Quod extremum accidit in parvis atque frequentibus causis, in quibus ab ipsa re orationem inchoare saepe est commodius.

Exordii munus.

Exordii munus, quod iam supra attigimus, explicat Fabius: ***Causa principii nulla alia est, quam ut auditorem, quo sit nobis in ceteris partibus accommodatior, praeparemus. Id fie-***

1) Inv. XV. — 2) II. Orat. LXXIX.

ri tribus maxime rebus inter auctores plurimos constat, si benevolum, attentum, docilem fecerimus; non quia ista non per totam actionem sint custodienda, sed quia in initiis maxime necessaria, per quae in animum iudicis, ut procedere ultra possimus, admittamur [1]).

Loca, ex quibus ducuntur principia, sunt eadem quae adhibemus ad probandum, ac praecipue ad movendum: motuum enim pertractatio, licet sicuti sanguis in corporibus sic illa in perpetua oratione fusa esse debeat, proprie tamen in principiis conciliando, et permovendo in peroratione locum habet. Ducitur itaque exordium ex personae rei et fortunae adiunctis, a plana simplicique causae expositione, ab insigni aliqua sententia, vel exemplo: quae omnia audientium animos excitare debent, et leni quodam motu ad nostram sententiam parare. Maxime autem principia non extrinsecus alicunde, sed ex ipsis causae visceribus sunt sumenda. Namque pertentata atque perspecta causa, et locis omnibus inventis atque instructis, tum denique considerandum est, quo principio sit utendum. Ita enim, inquit Tullius, principia *et momenti aliquid afferent, cum erunt pene ex intima defensione deprompta, et apparebit ea non modo non esse communia, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quae tunc agatur, effloruisse* [2]). Quare non omnino immerito ait ibi Antonius se, ceteris omnibus orationis partibus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum solere cogitare, quo uteretur exordio: nam si quando id primum voluerit invenire, nullum sibi occurrisse, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, aut commune. Quod etsi Quintiliano [3]) non probatur, monet tamen nos quid faciendum sit, ne inepti videamur.

Unde sumitur exordium?

Quando faciendum?

Iam prima exordii virtus est, ut sit causarum proprium; quod qui fiat, nuper ex Tullio audivimus: tum ut occultiori arte ducatur accuratum et acutum, ac instructum sententiis, aptum verbis. *Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum qui audit permulcere atque allicere debet* [4]). Ad haec, habeat exordium cum reliqua oratione proportionem: oportet enim, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia proportione rerum praepo-

Exordii proprietates.

1) Inst. lib. IV. c. 2.—2) II. Orat. LXXVIII.—3) Lib. III. cap. 9.
4) Cic. II. Orat. LXXVIII.

nere: idque non solum de magnitudine, sed de ipsa potissimum rerum natura est intelligendum; ne aut magna parvis, parva magnis praeponamus, aut exordii gravitati non respondeat oratio [1]).

Exordii cum oratione connexio.

Tandem, quod caput est, *principium ita sit connexum consequenti orationi, ut non tanquam citharoedi prooemium affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli, cum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri velle videantur. Atque huiusmodi illa prolusio debet esse, ut non Samnitum, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utantur, sed ut ipsis sententiis quibus proluserunt vel pugnare possint* [2]). Hoc autem sic faciendum est, ut auditores neque ex exordio, neque ex propositione totam orationis materiam praecipere possint: quod saepe causae plurimum obest.

§ II.

De Narratione et Propositione

Quid narratio?

Cum per exordium paravimus auditores, maxime naturale est, ut rem de qua dicturi sumus indicemus. Id facimus narratione, quae est rerum gestarum, aut perinde gestarum, expositio.

Narratio triplex. Poëtica.

Triplicis vero generis est narratio: poëtica, historica et oratoria. Ac poëtica quidem rem fictam, vel certe commentitiis fabulis et ornamentis aspersam, eo temporum et locorum ordine qui ad carminis pulchritudinem magis confert, exponit atque omnibus

Historica.

artis coloribus expolit atque pingit. Historica autem rem omnem gestam naturali temporis et rei ipsius serie persequitur, iis tantum artis instrumentis adhibitis, quae rem in maiori luce

Oratoria.

collocent, nullo veritatis detrimento. Oratoria tandem rem illam vel rei partem explicat, quae in controversiam venit: propterea dicitur rerum in eo negotio, de quo agitur, explicatio. Cuius explicationis id est praecipuum, ut cetera dissimulando vel minuendo, ea tantum demonstremus, quae et causae nostrae faveant, et argumentorum materiam praestituunt, omni fictae falsaeque rei suspicione remota: id enim oratore maxime est indignum.

1) V. *Ranalli*, lib. 3 c. I n. 2.—2) Cic. II. Orat. LXXX.

Iam vero oratoriae narrationis, de qua nunc est sermo, virtutes sunt: iucunditas, probabilitas, et perspicuitas. Alii brevitatem addunt: sed brevitas appellanda est, cum verbum nullum redundat. Nam si brevitas sic intelligitur ut tantum sit verborum, quantum necesse sit, *aliquando*, inquit Tullius, *id opus est; sed saepe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis est maxima, ut iucunda et ad persuadendum accommodata sit, tollit* 1). Oratoriae narrationis dotes. Brevitas.

Ut autem iucunda sit narratio, non tam a verbis habebit quam ab expositione, quae sit distincta personis, interpuncta sermonibus, appositis morata. Quibus rebus eminere debet probabilitas; si quae narrantur, personis locis et rebus conveniant, si eventus cuiusque causa indicetur, confirmeturque aliquo testimonio; si quae proferuntur sint cum opinione, lege, ac religione coniuncta; si qui narrat sit notae fidei atque probitatis. Verum Cicero primas partes tribuit perspicuitati: nam licet totam orationem apertam esse oportet, hoc magis in narratione elaborandum est, *quod et difficilius est non esse obscurum in re narranda, quam aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut in perorando; et maiore periculo haec pars orationis obscura est, quam ceterae: vel quia si quo alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est; narratio obscura totam obcaecat orationem: vel quod alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius; narrationis unus est in causa locus. Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur* 2). Iucunditas. Probabilitas. Perspicuitas.

Narratio locum habet potissimum in genere iudiciali, sive de crimine, ut in Miloniana, sive de iure, ut in Quintiana, sit quaestio: neque tamen semper, aut eodem modo: nam cum res constat et ius quaeritur vel crimen excusatur, saepe nulla opus est narratione. Deliberationi etiam praeponitur narratio, sed fere est non tam rei gestae quam negotii expositio, uti videre est in Maniliana. At in genere exornativo ea obtinet narratio, quae et festivior sit, et per totam orationem aspersa: nam quae ibi narrantur tum ad delectandum movendumque, tum ad confirmandum identidem adhibentur. Huius generis narrationes, quae Narrationis locus. Narratio generis exornativi.

1) 1 II. Orat. LXXX. 2) C c. l. c.

cum descriptionibus etiam coniunguntur, plurimae sunt in Verrinis, in Catilinariis, in Philippicis. Vide praesertim Verrinam secundam, in qua Lampsaci urbs describitur et Verris facinora narrantur [1]): tum nonam Fabii declamationem, ubi pauperis filius pugnat usque ad mortem pro divite amico. Illud autem imprimis tenendum alias esse narrationes, quae totam praecipui causae facti rationem solide complectuntur: alias, quae res gestas inducunt ad confirmationem, expolitionem, amplificationem.

Descriptio rei.

Solet autem in causis accidere, ut, omissa narratione, natura rei, de qua disputamus, sit primum aperienda: tunc vero confugimus ad definitionem, seu gravius ad descriptionem. ***Etenim definitio,*** inquit Tullius, ***primum reprehenso verbo uno, aut addito aut demto, saepe extorquetur e manibus; deinde genere ipso doctrinam redolet, exercitationemque pene puerilem; tum in sensum et mentem iudicis intrare non potest: ante enim praeterlabitur, quam percepta est*** [2]). Huius descriptionis exemplum est in Tullio: ***Lex est iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt et tuentur bonos*** [3]), Nec vero hanc descriptionem, seu oratoriam definitionem, longiorem volumus: tum enim pura dilucida ac distincta, tum etiam brevis esse debet, ut ab auditoribus facile teneatur.

Quid propositio?

Vel ab ipso exordio, vel certe a narratione sponte fluere debet illa, quam in studio causae et controversiae constitutione iam praefinivimus [4]) propositio, seu oratio, qua profitemur, qua de re sumus dicturi: quod quidem, si res patet aut tacita melius suadetur, aperte non facimus. Aliud probandum orator assumit, aliud inde obtinendum sibi proponit. Duplex itaque est propositio: Praecipua, seu id, ad quod assequendum omnia naturae atque artis praesidia admovemus: et Assumptiva, seu id quod probandum suscipimus, quo tanquam impellenti ratione priorem consequamur. Assumptivae propositionis virtutes multae recensetur; ut sit quam clarissima; ut omnia orationis argumenta partesque omnes in illam concurrant; ut tractari copiose et ornari facile possit; ut auditorum animos vel

Est duplex. Praecipua et Assumptiva. Huius dotes.

1) In Ver. lib. I. n. 63. — 2) II. Orat. XXV. — 3) II. De leg. n. 3.
4) V. *Broeckaert*, Le Guide P. 3 s. 2. c. I a. I § 3.

novitate, vel utilitate, vel rei magnitudine et gravitate excitet et attentos reddat: sed una est potissima; ut sit controversa. Qua in re saepe oratores, praesertim sacri, falluntur, eas propositiones eligentes, quae nec controversae sunt nec dubiae apud auditores: aerem propterea verberant. Ut enim in Miloniana accusator frustra laborasset ostendendo Milonem mortem intulisse Clodio, quia non de facto sed de iure erat controversia; sic orator sine utilitate ostenderet poenitentiam sontibus necessariam esse, si non de necessitate sed de tempore esset quaestio: id enim, quod culpae conscios arceret a poenitentia, non esset ignorantia necessitatis, at credulitas poenitentiam alio tempore faciendi. Quare ut orator cum fructu loqueretur, id, in quo auditores errarent, assumere deberet, ac ostendere nunc faciendam esse poenitentiam. Ex quo fieret ut validiora arma sumeret, et cominus cum auditoribus manus consereret. Dicenti praeterea nec oratio nec calor deesset: non enim ficta sed vera esset pugna, quae non verborum vel optimorum inani sonitu, sed gravi sed vehementi, sed fecunda, sed forti et ad ultimum constanti oratione dirimeretur. Sit controversa.

Propositio, quam praecipuam diximus, una sit oportet: nam cum in voluntate ad aliquid inflammanda fere contineatur, nemo sapiens auditorum voluntatem ad plura eodem tempore impellet. Sed assumptiva potest esse simplex et distributa; licet haec etiam, rei unius alteri subiectae ordine, una semper esse debeat. Simplex, quae et melior, dicitur illa, quae rem unam tantum proponit; ut: *Sin hoc nemo vestrum ita sentit, illud iam in iudicium venit, non occisus ne sit, quod fatemur; sed iure an iniuria, quod multis antea in causis iam quaesitum est* [1]) Distributa autem est ea, quae rem totam in certas easque paucas partes dividit, ut: *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum* [2]). Quae divisio tunc adhibetur cum maius lumen rei afferre volumus, cum nostram vel auditorum memoriam iuvat, cum audientium vel animum erigit, vel fastidium levat. Quidam seiunctam etiam propositionem faciunt, et utuntur priori exemplo; sed inepte: unum enim ibi assumitur [3]). Est simplex. Et distributa.

1) Pro Milone XI.—2) Pro Leg. Man. II.—3) V. Quint. lib. IV. c. 5.

§ III.

De Argumentatione

Quid est argumentatio?

Propositionem excipit argumentatio, quae est potissima, et summa orationis pars, in qua firmamenta seu robora causae afferuntur. Duo complectitur: Confirmationem, in qua ea,quae pro nobis sunt, firmamus ac stabilimus ; et Confutationem, in qua contrarias adversariorum rationes refellimus. At sive probamus vera esse, quae defendimus, sive ad ea, quae adfert adversarius, respondemus, argumentatio nihil aliud est, quam argumentorum, quae ex propriis locis sumimus, gravior explicatio tractatioque. Quare iuvat varias argumentorum tractationes ante cognoscere. Eas plurimas numerant dialectici; sed quae nobis usui esse possunt, si oratorio modo efferantur, sunt: Syllogismus, Epicherema, Enthymema, Dilemma, Inductio, et Exemplum.

Argumentorum tractationes.

Syllogismus est argumentatio constans tribus propositionibus sic inter se connexis, ut prioribus duabus concessis, quarum altera *maior*, *minor* altera dicitur, necessario concedenda sit tertia, quae *consequentia* appellatur, ut: Quod gloriosum est, est appetendum; Sed vivere in negotio sine periculo est gloriosum : Ergo vivere in negotio sine periculo est appetendum. *Epicherema* est syllogismus , cuius *maiori* , vel *minori*, vel utrisque adiungitur probatio. *Enthymema* est pars syllogismi, seu syllogismus imperfectus: duas enim habet partes, *Antecedens*, et *Consequens*, ut: Omne noxium est fugiendum; Ergo pravorum societas est fugienda. *Dilemma* constat duabus partibus, quae utrimque adversarium capiant, ut: Omnis dolor aut est vehemens aut levis: Si levis, facile fertur: Si vehemens, certe brevis est. Cum e multorum similium enumeratione aliquid colligitur, *Inductio* est: at ut probet, necesse est ut,quae sumuntur, certissima sint, et quod inde deducimus, illis sit simile. Si vero argumentum non a pluribus, sed ab uno simili ducitur, *Exemplum* dicitur, aut inductio imperfecta.

Dilemmatis.

Dilemmate iuductione et exemplo sic utitur orator, ut eorum membra ornate et copiose augeat, distinguat, illuminet. Dilemma adhibet Cicero: *Debuit tibi C. Quintius: nunquam petisti: mortuus est ille: res ad heredem venit: cum eum quotidie vi-*

deres, post biennium denique appellas: dubitatur utrum sit probabilius, Sext. Naevium statim, si quid deberetur, petiturum fuisse; an ne appellaturum quidem biennio? Appellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at et in provincia ius dicebatur, et Romae iudicia fiebant. Restat ut, aut summa negligentia tibi obstiterit, aut unica liberalitas: si negligentiam dices, mirabimur: si bonitatem, ridebimus [1]. Pulcherrima est Senecae inductio: *Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore caelata est, nec quae fiscis ac opibus regiis pressa est, sed stabilis et firma, et iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox et consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui et ad secandum subtilis acies, et mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formosa, sed quam recta sit, quaeritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum foeneret, a quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat; sed quam bonus sit* [2]. Exemplum est in Miloniana; *Negant intueri luce esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri: qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.*

Inductionis.

Exempli usus.

Syllogismi dialectici nullus vel rarus est usus in eloquentia. Syllogismo opus est oratorio: quem quinque partibus instructum vult Tullius; propositione nimirum, propositionis probatione, assumptione, assumptionis probatione, et conclusione: idque duobus exemplis praeclare illustrat [3]. Verum neque huic ratiocinationis formae nimis indulgendum. Omnium itaque argumentationum optima est syllogismus oratorius latiori sensu acceptus; scilicet ut propositiones non semper, sed, cum opus est, solum probentur vel illustrentur, ac ut immutari possit earum ordo, disertisque particulis necti. Ad huiusmodi syllogis-

Syllogismus oratorius.

Qui usurpandus?

1) Pro Quint. n. 41. — 2) Epist. 76 — 3) I. Inv. XXXIV. et XXXVIII.

Enthymema oratoris. mum accedit enthymema, non dialecticum illud, sed oratorum proprium, quo propositis et exornatis antecedentibus, quae consequentia vel consentanea sint, explicantur. Harum argumentationum perpetuus est usus in oratoribus, ut eorum argumenta diligentius consideranti patebit.

Quid in argumentatione cavendum? In qualibet autem argumentatione cavendum est maxime, ne aut morem aut ordinem scholarum sequamur. Omnia enim propriis dicendi luminibus sunt efferenda. *Tractatio enim varia esse debet, ne aut cognoscat artem qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet quid afferas, et id quare ita sit ostendere; et ex iisdem illis locis interdum concludere, relinquere alias, alioque transire: saepe non proponere, ac ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare: si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes; deinde quod agitur, adiungas: puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit; ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur* [1]). Varia argumentationum genera, et illustria exempla affert Caussinus [2]).

Argumentorum Collocatio. Ex Tullio. Ad argumentorum collocationem quod attinet, Tullius ita statuit: *Res hoc postulat ut eorum expectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur: cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet, quae non statim, ut dici coepta est, melior fieri videtur. Ergo ut in oratore optimus quisque, sic et in oratione firmissimum quodque sit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellant, serventur etiam ad perorandum: si qua erunt mediocria (nam vitiosis nusquam esse oportet locum) in mediam turbam atque in gregem coniiciantur* [3]) Ad haec addit Fabius:

Ex Fabio. *Quaesitum etiam potentissima argumenta primo ne ponenda sint loco, ut occupent animos; an summo ut inde dimittant; an partita primo summoque, ut homerica dispositione in medio sint infirma; an a minimis crescant. Quae prout ratio causae cuiusque postulabit, ordinabuntur, uno, ut ego censeo, excepto, ne a potentissimis ad levissima decrescat oratio* [4]).

Confutationis ratio. Cum vero refellimus, quod praeoccupatione saepe fit, tunc

1) II. Orat. XLII.—2) Lib. VI. c. 33. et seq.—3) II. Orat. LXXVII.
4) Lib. V. cap. 12.

utimur aut mera negatione, aut excusatione: pari aut etiam maiori re adversariis obiecta: indignatione, atque contemptu: compensatione, cum neque factum negamus, neque iure factum esse contendimus, sed alio quodam praeclare facto affatim compensari ostendimus. Utile etiam interdum erit iocos sales et facetias, etiam in rebus gravibus, adhibere: sed cavendum maxime, ne iniuriis magis quam argumentis respondeamus. *Illud admonemus tamen, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit: nec subobsceno, ne mimicum: nec petulanti, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odii locum risus occupet: neque aut sua persona, aut iudicum, aut tempore alienum: haec enim ad illud indecorum referuntur* [1]). Quod si adversarii nostrae interdum siñt partes, tunc id erit officium, ut quo capite infirmior videtur causa, inde rem aggrediamur. Usus ridiculi.

Atque hic est locus, ut de egressione aliquid dicamus. Ea vel ad affectus permovendos spectat, vel ad aliquid aliunde in nostram causam arcessendum. Prima non est nisi subiecta ad movendos vel conciliandos animos oratio: de qua Tullius. *Digredi tamen ab eo, quod proposueris atque agas, permovendorum animorum causa, saepe utile est. Itaque vel narratione exposita datur ad commovendos animos digrediendi locus, vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque copiam, recte id fieri potest: eaeque causae sunt ad agendum et ad ornandum gravissimae atque plenissimae, quae plurimos exitus dant ad eiusmodi digressionem, ut his locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur* [2]). Egressio. Egressio adfectuum.

Alterius generis egressio, graece παρέκβασις, est alienae rei, sed ad utilitatem causae pertinentis, extra ordinem procurrens tractatio. Non solum enim plurima sunt, quae rebus nihil secum cohaerentibus inseruntur, quibus iudex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur; sed plures etiam res existunt, quae per totam orationem varios habent excursus: ut laus hominum, locorumque, ut descriptio regionum, ut expositio quarumdem rerum non modo gestarum, sed et fabulosarum [3]). Ad affectus egreditur saepe Tullius in oratione pro Se- Egressio rerum.

1) Cic.Or.XXVI —2) Cic.II.Or.LXXVII.—3) V.Quint.lib.IV. c.3.

xto Roscio: alterius digressionis exempla sunt Siciliae laus, et Proserpinae raptus, et candelabri descriptio, aliaque in Verrinis.

§ IV.

De Animorum Motione et Peroratione

Motionis necessitas.

Excitandi vel sedandi affectus locus erit fere in peroratione, interdum etiam inter ipsa argumenta. Qua in re id primum curabimus, ut antequam dicamus, diligentissime consideremus, quid maxime sit accommodatum ad auditorum animos ad id, quod volumus, commovendos. Quod cum invenerimus, omne studium huc conferemus, ut audientium animis certum motum adhibeamus. Eum enim oratorem dicimus, *qui*, ut ait Tullius, *scelus fraudemque nocentis possit dicendo subiicere odio civium, supplicioque constringere: idemque ingenii praesidio innocentiam iudiciorum poena liberare: idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique quemcumque in animis hominum res et causa motum postulet, eum dicendo vel excitare possit vel sedare* 1).

Auditorum animi cognoscendi.

Iam vero, quibus modis excitentur vel sedentur affectus, superius demonstravimus. Sed cum loca illa sunt usurpanda, omni mente in ea cogitatione curaque versabimur, ut odoremur quam sagacissime possimus, quid sentiant, quid existiment, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur auditores, ut aut oderint aut diligant, aut metuant aut spernant, aut cupiant aut abhorreant, aut laetentur aut moereant, aut misereantur aut punire velint 2).

Oratoris ardor.

Omnium igitur maxime, ad affectus pertractandos, animorum cognitio requiritur, ut ea attingamus, quibus auditorum pectora vehementius percellantur aut sedentur. Deinde opus est ut non solum nos incendere auditores sed iidem ardere videamur. *Neque enim fieri potest, ut doleat is qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum, misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhibere ve-*

1) I. Orat. XLVI. — 2) V. Cic. II. Orat. XLIV.

lit iudici, in ipso oratore impressi esse, atque inusti videbuntur [1]). Valet itaque hic etiam Horatii mens:

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia laedent
Telephe, vel Peleu [2]).

Verum orator non debet affectum excitare in alterius voluntate prius quam illius mentem argumentis convicerit: deesset enim ratio praesens cur animus permoveretur. Imo sic oratione paranda est ad affectum via, ut auditor non advertat,nos eum excitare velle, sed sensim et sine studio commoveri se sentiat: alias iam praeoccupatus orationi resistet. Quare etiam utemur sermone, qui in animorum motibus apparere solet: simplici nimirum, non adfectato; evidentioribus quidem ac vehementioribus figuris corroborato, sed sine pigmentis. Teneamus praeterea subtiles longasve argumentationes, alienas digressiones, similitudines, atque id omne quod cultum et splendorem praefert, animi ardorem restinguere, non inflammare. Prius convincenda mens. Sermo affectuum.

Peroratio dicitur: ultima orationis pars, in qua id quod tota oratione expetebat orator, maiori vehementia evincere et obtinere contendit [3]). Tribus fere partibus constat: enumeratione seu epilogo, animorum commotione, et conclusione. Enumeratio potiora, quae per totam orationem sparsa sunt, summatim colligit, et sub uno veluti adspectu collocat. Animorum commotio teneros potius quam vehementes affectus ciet, atque non solum praecedere vel subsequi epilogum, sed huic ipsi immisceri etiam potest.Conclusio denique paucis id, quod praecipue quaerimus commendamusque, comprehendit, atque in auditorum animis defixum relinquit. Quid Peroratio?

At vero, quas perorationi fecimus, partes non ita intelligendae sunt, ut omnes semper simul obtineant: nam saepe epilogus, uti iam diximus, commotioni inservit; utimur enim praecipuis, quae attulimus, argumentis ad movendos animos: interdum vel sola permotio, vel tantum enumeratio aut conclusio orationem explet. Habes, ut pulchriora commemorem, epilogi exempla in oratione pro Lege Manilia et pro Archia: commotio- Eius partes non semper adhibendae.

1) Cic. II.Or.XLV.—2) Ep.ad Pis.v.101.—3) V.Quint.Lib.VI.c.1.

nis in orationibus pro Sexto Roscio, pro Fonteio, et pro Milone a): conclusionis in I. et XIII. Philippica Ciceronis.

CAPUT IV.

DE CIVILI ELOQUENTIA

Unde petenda divisio eloquentiae?

Divisionem, qua omnem oratoriam facultatem in publicarum concionum, in fori, in sacri suggestus eloquentiam vulgo partiuntur pro causarum generibus substitui non posse iam diximus. Sed nec ipsa per se partitio illa probatur. Nam divisio vel ex officio vel ex fine, vel ex oratoris materie est petenda. Ex oratoris officio nullus quidem est huiusmodi divisioni locus: nam cuiusque oratoris officium idem est; dicere scilicet ad persuadendum apposite, idque docendo delectando et movendo: quare Tullius universe: *Erit eloquens is, qui ita dicit ut probet, ut delectet, ut flectat: probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae* [1]). Finis vero, qui in eloquentia spectari potest, vel proximus est, vel ultimus: proximus ubique unus est, persuadere nimirum: ultimus est bonum hominum: nam utilitas, honestas, iustitia et aequitas huc recidunt, atque in omnibus causis, ut ait Fabius, considerantur. At hominum bonum vel naturale est et civile, vel supra naturam et caeleste. Duo igitur primo sunt eloquentiae genera: civile et sacrum. Quae partitio ex subiecta oratori materie confirmatur: proxime enim civilis orator ius humanum, orator sacer divinum spectat: alter philosophia et humana auctoritate; alter auctoritate divina, et locis, qui cum eadem nectuntur, potissimum innititur. Dividimus itaque pressius eloquentiam in civilem et sa-

Ex fine eloquentia civilis est aut sacra.

Confirmatur materia.

1) Orat. 69.

a) Questi le tenere braccia ed innocenti distende verso V. Maestà, timido e lagrimoso; e con la lingua ancora non ferma mercè le chiede: perciocchè le prime novelle, che il suo puerile animo ha potuto per le orecchie ricevere, sono state morte e sangue ed esilio; e i primi vestimenti, co' quali egli ha dopo le fasce ricoperto le sue piccole membra, sono stati bruni e di duolo; e le feste e le carezze, che ha primieramente dalla sconsolata madre ricevute, sono state lagrime e singhiozzi, e pietoso pianto e dirotto... *Casa*, Orazione a Carlo V.

cram. De civili, quae nunc est nobis proposita, primum quaeremus naturam generatim, deinde partes in orationibus tum publicarum concionum tum fori disseremus, tandem subsidia indicabimus.

§ I.

De Civilis Eloquentiae Natura

Origo civilis Eloquentiae

Civilis eloquentia, rudis illa quidem et adhuc impolita, nata est cum ipsa hominum societate: imo societatis parens nutrixque extitit. Primum enim hominum coetus non nisi sermonis beneficio inter se coaluerunt: deinde cum viderent nec rempublicam nec personas aut opes sine legibus et iudiciis tutas esse posse, leges et fora instituerunt, quae, orationis vi inducta, oratorum facultate gubernarentur. Descripsit haec praeclare Tullius: ***Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret et ad diversas vitae rationes traduceret. Age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere et iustitiam retinere discerent et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent, qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent?*** 1).

Eloquentiae civilis natura.

Quare ex ipsa rei origine intelligimus civilis eloquentiae naturam tum in publico bono curando tuendoque, tum in civium personis fortunisque defendendis sitam esse: ita ut oratoris munus sit vita et eloquentia tum reipublicae tum privatorum commodis servire. Unde fit, ut non is qui egregia solum eloquendi facultate polleat, sed qui publicum bonum et privatum civium commodum in senatu atque in foro artis et orationis vi procuret, orator habeatur. Quod adeo verum est, ut Isocratis orationes, quamquam elocutionis virtute illustres, in verae eloquentiae patrimonio non collocentur: cum enim auctor nunquam in publicis negotiis vel in forensibus causis sit versatus, non immerito a Tullio iudicatur *pompae magis quam pugnae aptior, ad voluptatem aurium accommodatus potius, quam ad iudi-*

1) I. Inv. Rhet. I.

ciorum certamen. Contra, verae eloquentiae laudem meruere Ioannis Casae orationes ad Venetam Rempublicam cum Summo Pontifice Gallia et Helvetia adversus Carolum V. coniungendam scriptae: nam etsi nunquam recitatae fuerunt, tamen praesenti civium bono sunt susceptae, et vel lectae solum finem sunt consecutae. Qua etiam de causa Demosthenes et Cicero apud omnes celebrantur: nam eorum orationes vel contra infensos patriae hostes, vel pro fortunis et vita civium habitas fuisse accepimus.

Communi bono inservit? Iure igitur Tullius non quamcumque eloquentiam, sed quae in impendentibus reipublicae civiumque necessitatibus explicatur, tot tantisque laudibus passim prosequitur. Praestat vel unum locum audire, ex quo natura quoque eloquentiae melius innotescat. *Neque vero mihi quidquam*, inquit, *praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere. Quid est... tam potens tamque magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus?* [1]).

Eius duae sunt partes. Quibus ex rebus facile patet duas esse civilis eloquentiae partes: quarum altera in suasionibus et dissuasionibus viget; altera in controversiis et iudiciis. Hinc civilis eloquentia genus tantum deliberativum et iudiciale videtur complecti. Sed in publicis hominum coetibus laudes etiam illustrium virorum iam olim efferebantur: unde huiusmodi orationes panegyres sunt dictae. Pertinet igitur huc genus etiam demonstrativum. Quin imo deliberationis genus, quoniam spectat praecipue utilitatem cum honestate coniunctam, plurima a laudationis genere mutuatur. Quare eloquentia civilis sic dividi potest, ut alia sit publicarum concionum, alia fori.

Quid complectuntur? Publicae autem conciones sic intelligi debent, ut complectantur non orationes modo, quae apud senatores, vel populares coetus habentur, sed eas etiam, quae fiunt vel ad militum copias, vel in artium, litterarum, scientiarumque Collegiis et A-

1) I. Orat. VIII.

cademiis. Eloquentia vero fori, quamquam in uno genere iudiciali versatur, et propterea solum iudicia spectat; tamen, quia in iudiciis orator vel opes vel personas tuetur, ob ipsam rerum frequentiam et diversitatem, duo fora peperit: *civile*, in quo tractantur iudicia *privata*, hoc est iura civium in res; et *criminale*, in quo exercentur iudicia *publica*, hoc est iura civitatis, quae crimine laeduntur.

Praestat eloquentia Concionum.

Oratoris facultas in instruendis mentibus permovendisque voluntatibus perspicitur. Ibi igitur magis dominatur eloquentia, ubi maior rerum cognitio requiritur, et plures animi motus sedandi vel commovendi sunt. Quare maxime in publicarum concionum eloquentia omnem dicendi vim orator, ut nunc sunt tempora, expromere potest: est enim et scientia retinenda rerum plurimarum, et omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, mores augent, tempora mutant, penitus sunt cognoscendi. Ipsa praeterea senatorum concilia, ipsi populares coetus, ad quos orationes habentur, rerum magnitudo, amor communis boni, hostium molimina, privatae publicaeque gloriae cupiditas, necesse est ut magnos ac varios pugnantesque affectus excitent, quos alios sedare debemus, alios ad nostram sententiam bonumque commune ducere. Quae quidem ita se habent, si publicarum concionum eloquentia et plena sit et omnium civium in bonum commune ardore celebrata: at ubi vel illa nulla est, vel publica negotia verbis solum consilio multitudinis, re fraudibus paucorum hominum et secretis conclavium tricis reguntur, praestat procul dubio eloquentia fori: ita tamen ut si in iure et litibus versatur, in re legum cognitione vindicanda plurimum nunc valeat; si in crimine et iudiciis, in animorum quoque motibus pertractandis multam vim saepe exerat. Neque enim eorum opinioni assentimur, qui, Ugonem Blairium secuti, fere omnem motum a nostrorum temporum foro vulgo expellunt: quod adeo absonum est, ut nos ipsi noverimus iudices, qui in re quoque civili vel sola rerum notitia vehementer commoverentur. Potest igitur orator hac saltem animorum conditione ad causam suam uti: quod si potest, illud erit curandum, non ut a motu adhibendo omnino abstineamus, sed ut videamus qua in re, qua arte, et quatenus animi sint vel subeundi, vel ciendi, vel sedandi. Quamobrem motuum tractatio, sine qua fere nulla est eloquentia, ab hodierni fori natura legumque multitudine non respuitur, sed difficilior iam facta est.

Eloquentia Fori.

Blairii sententia respuitur.

Veteris et hodierni Fori discrimen. Veterum Forum.

Quod ut illustrius perspiciatur, tenendum imprimis est verum discrimen, quod inter Graecorum Romanorumque et nostrae aetatis forum intercedit. Itaque primo legum codex nec plenus nec longus erat: quare pleraeque res in causis iudicum sapientiae et prudentiae relinquebantur. Ipse praeterea iudicum numerus multitudini, quacum animi motus plurimum valent, fere comparabatur: octoginta supra ducentos in Socratis causa Athenis convenerunt: apud quinquaginta iudices et eo amplius Tullius pro Milone Romae peroravit. Ad haec, summus interdum magistratus, totius reipublicae vel integrae provinciae nomine, in iudicium vocabatur: ut Ctesiphon per Aeschinem, et Verres per Tullium: interdum ob viri dignitatem et partium studium populus ipse iudicio intererat non spectatoris, sed iudicis quasi more. Quae omnia efficiebant, ut apud Graecos et Romanos eloquentia, tota quanta est, in foro maxime dominaretur, atque universa delectandi, docendi, et movendi instrumenta plenissime exprimeret. Hinc est ut pueri mature ad eloquentiae studium a parentibus deducerentur, et iuvenes communi plurimorum aemulatione optimi oratores evaderent: non solum enim opum, sed tum praemiorum et honorum, tum dignitatum et immortalis gloriae via forensium oratorum curriculum habebatur. Quare veteres litterarum institutionem in fori eloquentia maxime ponebant: cuius rei argumento esse possunt vel soli Quintiliani libri, quibus omnes Romanorum hac in re artes et industriae exponuntur. Tullius vero, qui ab artis oratoriae praeceptis tradendis fere nunquam destitit, eam forensis eloquentiae speciem animo informaverat, ut satis verbis illam significare diffideret.

Eloquentiae studium apud veteres.

Forum hodiernum.

Quae laudes nequeunt universe fori eloquentiae nunc tribui. Nam hodierni fori forma et consuetudo multa immutavit, pleraque imminuit. Infinita enim recentiorum legum series, quae singulos fere rerum casus attingunt, ut omnia notat adiuncta, sic parum admodum oratoris eloquentiae iudicumque arbitrio relinquit: exiguus iudicum numerus, qui quidem tot legum custos et vindex est, quasi diligentem solum et consideratam ratiocinationis severitatem patitur: spectatores et pauci sunt, et nullam vim in ipsum iudicium habent. Quibus ex rebus efficitur, ut desit vehemens illa inter accusatorem et patronum contentio, quae apud veteres tantopere celebratur: desunt propterea stimuli illi, quibus orator ad omnia eloquentiae vela

pandenda incitetur. Quare non solum ea, quae quamdam scenae speciem ad motus acrius ciendos olim invehebant, ut reorum vestes, familiarum luctus, amicorum lacrimae, in hodierno foro omnino prohibentur; sed vehementiores quidam affectus ut plurimum inopportuni essent, interdum ridendi.

Neque tamen ex his quis inferat, nihil vel parum eloquentiam in foro nunc posse. Lex enim, ut ut plena, quippe quae hominis opus est, nunquam perfecta haberi potest: multa propterea saepe non praevidet, in aliquibus obscura est, in aliis non definita; nec raro legis littera et spiritus, ut aiunt, pugnare videntur. Interdum etiam rerum et legum relatio non est perspicua, argumenta dubia vel ambigua, iudicia et coniecturae hinc inde, vel inter sese, confligentes. Quod si de crimine agitur, et factum ipsum in controversiam cadit, tunc in coniecturali statu, qui late apud veteres patebat, omnem fere eloquentiam orator prodere potest. Fac enim, quaeso, ut illustris quidam vir parricidii accusetur, imo etiam homicidii solum, et omnia vel plurima, quae in Sexto Roscio fuere adiuncta, ut fieri potest, conveniant, nonne omnis Tullii eloquentia oratori erit adhibenda? Tandem sint quidem iudices pauci, sint integri, sint severi: homines nihilominus sunt, animi perturbationibus subiacent, praeiudiciis decipi, fraudibus, quae tot tantaeque nectuntur, vel imprudentes capi possunt. Itaque in hodierno etiam foro leges vel deducendae vel declarandae vel examinandae sunt; facta nunc inficianda nunc probanda; revelandae iniustitiae, vincenda praeiudicia, hominum quoque voluntates flectendae: adde potentium hominum et infelicium reorum conflictus: adde quarumdam causarum magnitudinem, quae publicum studium et communem exspectationem excitet: plurima profecto adhuc habemus, quae magnum nostrae aetatis hominibus ingenii et eloquentiae theatrum in foro aperiunt.

In ipso plurimum eloquentia valet.

In legibus.

In factis.

In affectibus.

§ II.

De Eloquentia publicarum concionum

Quod Graeci πρέπον, Latini decorum dicunt, varios intellectus habet. Decorum enim primum est in verbis, idque duplex: unum ex honestate; alterum ex opportunitate eorumdem. Secundo spectatur quid deceat in rebus: quod metimur ex earum

Decorum multiplex.

natura, cum locorum temporum et personarum conditionibus comparata. Tertio est decorum in personis ipsis, si orator ita loquatur ut teneat quid sibi, quid iudicibus, quid auditoribus, pro rerum ac locorum conditione, maxime conveniat. Quarto denique consideratur decorum in ipsa oratione tum quoad rei seu causae argumentorumque naturam, tum quoad singulas orationis partes apte et convenienter sibi invicem respondentes; tum demum quoad stilum seu dicendi formam, quae et orationem integram et singula eiusdem membra maxime deceat. De his decori partibus multa passim attingit Tullius, plurima docuit Fabius [1]): nos universe aliqua de decoro hic exponemus, ac praesertim ea, quae sic afficiunt orationem, ut quodlibet eloquentiae genus a ceteris omnino separent vel distinguant; ac proinde eloquentiae cuiusque quasi characteres constituant.

Genus laudationis.

Atque ut a publicis concionibus initium faciamus, hoc in genere considerantur omnes orationes, quae in politica, ut nunc aiunt, eloquentia versantur, et genus tum deliberativum tum demonstrativum complectuntur. Demonstrativi generis sunt potissimum ellogia, orationes funebres, panegyres: sed ellogia, quae Academiarum plerumque sunt, nuper fere a recentioribus hominibus coepta sunt celebrari: duo reliqua genera iam sibi iure suo vindicavit sacra eloquentia, ex qua, si opus est, ducendae sunt leges.

Genus deliberationis.

Quae deliberationis sunt orationes reipublicae salutem et prosperitatem, publica negotia, communia civium commoda spectant, ac vel in privato Principum consilio, vel in frequenti procerum consessu, vel in popularibus coetibus habentur. Harum propterea orationum finis publica omnium utilitas est, morumque honestas. Agitur enim de optima reipublicae administratione, de ferenda vel abroganda lege, de inferendo vel arcendo bello, de communi tuenda pace, de civium bonis tum fortunae tum praecipue animi promovendis.

Oratoris politici virtutes.

Quare princeps politici oratoris virtus erit ingens publicae honestatis decorisque amor, et incensa communis boni voluntas. Quoniam vero res publicae in deliberantium coetu sententiarum contentionem, partium studia, et vehementiores animorum vel motus vel perturbationes ut plurimum pariunt; ea animi fortitudine constantiaque orator esse debet, ut non privata solum commoda sed sa-

1) Lib. XI, c. I.

lutem ipsam suam contemnens, communem civium utilitatem sibi suisque omnibus anteponat [1]).

Sed haec, quamquam praeclarissima et omnino necessaria, nihil reipublicae prodessent, nisi immensa rerum scientia accederet. Tenenda enim in primis omnium legum peritia, non earum modo, quae ad propriam regionem pertinent, sed earum, quibus exterae quaeque gentes reguntur: tum publicae et politicae oeconomiae cognitio, mutua diversarum nationum varia negotia tractandi consuetudo, Ars militaris, Historia, Geographia. Qui enim baec omnia cognita et perspecta non haberet, neque ad peculiares rerum necessitates et casus descenderet, neque salutaria consilia proponeret. Noscendi etiam sunt regionis mores, temporum natura, hominum voluntates, populi religio: atque in his singulis hodierna societas cum superiorum aetatum societate est comparanda, ut ab iis, quae olim nocuerunt, animi deterreantur;ad ea, quae reipublicae saluti et gloriae fuerunt incendantur. Eiusdem scientia.

His rebus instructus orator non arripiet quamlibet dicendi occasionem, sed expectabit tempus: in publicis enim concionibus felix orationis exitus ab una fere opportunitate pendet. Tunc non longo vel saepe nullo principio (qui enim deliberant sua causa sunt parati) sententiam suam clare et distincte exponit orator, ut intelligenter et attente audiatur [2]): a propositione ad rem confirmandam continuo accedit: saepius enim nihil est narrandum. Omnis autem oratio ad fidem et motum est adhibenda: siquidem in deliberationis genere persuasio et adfectuum motio omnem sibi locum vindicant. Nam in concionibus semper aliquid vel communis boni vel spectatae virtutis proponitur aggrediendum exprimendumve: ad quod deliberantium aut audientium impellitur multitudo. Sed animorum motionem plena et firma antecedit argumentatio, uti animadvertere est in Demosthene. Quare primum omnium oportet ut orator ipse sententia, quam proponit, plene informatus sit inflammatusque: raro enim aut nunquam eloquens ille est, qui ex animo non loquitur. Ut autem validiora argumenta, sic etiam firmiorem causae partem semper contemplabimur, ac summa perspicuitate ordine et dicendi vi adseremus. Orationis natura.

Ad argumentorum delectum quod attinet, Tullii memineri- Natura argu-

1) V. *Broeckaert*, P. III. s. 3. c. 3.—2) V. Cic. Part. VIII.

mentorum. mus praeceptum. *Quoniam,* inquit, *non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum qui audiunt, accommodanda est oratio: hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera: alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati: alterum humanum et politum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque apud homines bene institutos plurimum de laude et de honestate dicemus: maximeque ea virtutum genera tractabimus, quae in communi hominum utilitate tuenda, augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus; fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum proferantur:addantur etiam contumeliae et ignominiae. Nemo enim est tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas, contumelia tamen et dedecus magnopere moveat* [1]).

Affectus tractandi.

In voluntatibus sive alliciendis sive excitandis, sive compescendis omnia illa cognoscenda,quae tum de affectibus tum de animorum permotione traduntur. Neque vero magnis semper motibus utetur orator. Cum auditorum animi sunt inflammandi ad arduum aliquod patriae bonum, vel pravi homines sunt comprimendi; tunc ardens et vehemens erit eloquentia: at si argumenta erunt de communi utilitate et prudentia, sedata et gravis feretur oratio: praesertim cum, ut saepius fit, de lege ferenda vel non ferenda est quaestio, eaque iam fere iudicata in publicum senatum affertur.

Quid curandum in affectibus?

Sed si res affectus postulat, id magnopere nitemur, ut omnis ambitionis, gloriae, et privati commodi suspicio absit: nihil enim magis honestum virum dedecet, nihil magis cives boni indignantur, quam ut quis, ubi publicum omnium agitur commodum, ibi suum quaerat. Curandum praeterea, ut causae amor, et dicendi impetus rei ipsi reique adiunctis sint accommodati; ut non simuletur ardor ille animi, qui in nobis non est; ut etiamsi ardor sit verus et iustus, non feratur nimium; ut decorum, in summa, quod ex tempore et personis metiemur, suum semper obtineat locum: ne non tam libertatis et iustitiae aut honestatis causa moveri, quam animi perturbationibus agitari videatur orator.

Conciones populares

Quamquam ea, quae de publicarum concionum eloquentia generatim diximus, spectant etiam populares orationes; tamen in populari oratore, si recte iudicamus, aliquid aliud requiri-

1) Part. XXV.

tur. Nam huius generis eloquentia magnis prudentiae legibus gubernatur. Videndum enim est quando ad populum dicere expedit; cui liceat; qua de re liceat; qua ratione sedentur, qua excitentur populi adfectus. Atque in animis excitandis potissimum summa esse debet prudentia cautioque; ne, ut fere semper solet accidere, incitati populi in id ruant, quod ne a perditis quidem civibus potest sine summa ignominia probari.

Huc spectant orationes, quae habentur ad milites: suasione enim et hortatione continentur. Suademus autem ratione et consilio, hortamur motu atque impulsu: quare suasio argumentis docet quid facto sit opus: hortatio vero animos affectibus commovet atque inflammat, ut velint atque audeant. Argumenta ex honestate ex utilitate, ex necessitate praecipue sumuntur: id porro hic dicitur necessarium, sine quo salus aut dignitas nequit consistere. In affectibus excitandus primum amor, et desiderium: tum spes et fiducia: plurimum quoque valet aemulatio alienae gloriae: sed nihil magis movebit militum animos, quam si eorundem laudes recenseantur. Id et experientia comperimus et docemur exemplis: quorum plurima et praeclariora habentur in Livio, in Tacito, in Curtio, nec desunt in probatis rerum italicarum scriptoribus a). Orationes ad milites.

Orationes, quae in Academiis recitantur, hic recte collocari possunt. Hae partim ad genus laudationis pertinent, atque ideo illinc et argumenta petunt et praecepta: partim ad deliberationem. Deliberatio autem vel de instituenda promovendaque Academia, vel de artibus scientiisque excolendis augendisque plerumque tenet: ad primum faciunt argumenta ducta ex utilitate et gloria, quae civibus obveniunt ex rebus propositis: augentur vero exemplis tum maiorum tum aliarum vel civitatum vel gentium. Ad alterum argumenta ducuntur maxime ex historia, et ex natura ipsarum artium et scientiarum, quae promoventur b). Ad utrumque uberrimam argumentorum copiam suppeditabunt leges et praemia ipsius Academiae, ratio et methodus quae adhibentur, et secuti vel secuturi mox fructus cum artibus et scientiis ipsis, tum civibus, familiis, genti universae. Orationes Academicae.

Publicarum concionum stilus ex ipsa rerum natura ut graves Publicarum

a) Se le violente ed acerbe... *Giambullari*, Stor. dell'Eur. lib. I. Dove, dove sono fuggite al presente. .. Id. ib. lib. II.
b) V.P. *Giordani*, Della più degna gloria della Pittura e Scultura.

concionum stilus.

sententias, sic vehementiores eloquentiae figuras, quae ex accensa phantasia et impulso animorum motu oriantur, nonnullis videtur admittere. Quod interdum erit opportunum: sed plerumque stilus erit planus, liber, virilis, et robustus et moratus, uti est in Demosthene: *Tota enim oratio*, ut de hac re praecipit Tullius,*simplex et gravis,et sententiis debet ornatior esse, quam verbis* [1]). Universim vero dicendi ratio usurpanda concisa aut diffusa, vehemens aut tranquilla, gravis aut hilarior quandoque, prout res ipsae et auditores postulant: nam in publicis consiliis animi constantia et gravitas, in populorum coetibus et in re militari ardor et concitatio, in doctorum Collegiis et Academiis amoenitas et festivitas ut plurimum celebrantur: quare dicendi ratio varia sit oportet.

§ III.

De Eloquentia Fori

Forensis oratoris officium.

Civium opes et fortunae, vita et libertas, et,quae cum his copulantur, honor vel dedecus, divitiae vel paupertas familiarum in foro aguntur. Forensis autem orator vel in summa iudicum integritate et tot iam legum sapientia constitutus, ob variam et difficilem naturam querelarum, quas afferunt accusatores, et excusationum, quibus se defendunt rei, plurimum adhuc potest oratione, tum ut reddatur cuique suum vel iniqua vexatione liberentur insontes,tum ut crimine absolvantur vel immodica poena non plectantur clientes. Quapropter duae erunt in forensi oratore summae virtutes: magna iustitiae et aequitatis non solum aestimatio, sed maxime possessio: magnum in causis primum cognoscendis tum defendendis studium. Quarum virtutum alterutra si deerit, aut pecuniae vel gratiae causa potentium et subdolorum hominum fraudibus atque calumniis patronus suffragabitur, aut negligentiae et torporis vitio reos adversariorum fallaciis et criminationibus opprimendos permittet.

Eius virtutes.

Probitatis nomen.

Hinc extitit ut illustre probitatis nomen fuerit in ipsis ethnicis praecipua optimi oratoris conditio: quare Fabius. *Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus, non potest*; *ideoque non dicendi modo eximiam in eo faculta-*

1) Part. XXVII.

tem, sed omnes animi virtutes exigimus [1]). Quam ob rem vitandae quoque sunt quaedam causae, non solum quae aperte sunt iniustae, sed eae,quae magnam invidiam possunt iure excitare: cum enim tanta privatae utilitatis cupido nunc invadat homines, facile est ut causam non iustitiae amore sed proprii commodi gratia suscepisse videamur.

Magna legum scientia.

Legum in dies excrescens copia, et mutata iudiciorum forma, hodierni oratoris arti et arbitrio multa profecto adimunt, in quibus olim vis eloquentiae plurimum vigebat. Verum ipsa nostrorum iudiciorum conditio maiorem in eo, qui defendit vel accusat, eruditionem et solertiam exquirit. Quaecumque enim res in foro agitur, omnis actio in eo praesertim est ut cognitis versatisque legibus, quae ad illam referuntur, naturaque rei, quae disceptetur, penitus intellecta, causa cum legibus comparetur ex eaque comparatione iudicium fiat. Duo igitur forensis oratoris facultatem potissimum nunc declarant: scientia nimirum legum, et cognitio causae cum iisdem comparatae. Legum scientia in Patrono plena primum esse debet, tum intelligens, tandem ab ipsis principiis hausta.

Debet esse plena.

Erit autem plena legum scientia, si vulgarium iurisprudentiae institutionum finibus non terminetur; sed primo ad ipsum communium legum corpus se extendat, quod Iustiniani Imperatoris nomine circumfertur: tum in Reipublicae Constitutionibus et Capitulis, in tribunalium Ritibus, in Regum Pragmaticis, in legibus, quae per interregnum initio huius seculi prodiderunt, in Novo Codice, in frequentibus Regis decretis, in Rescriptis, in superiorum Iudicum, qui difficiliores quaestiones iam iudicarunt, sententiis versetur. Ad legum intelligentiam pertinet, ut earumdem finis optime teneatur, ut sententiarum et verborum percipiatur vis, ut si quae leges inter sese vel cum aliis pugnare videntur, consuetudine, sapientiorum hominum iudicio, et optima mentis ratiocinatione diiudicentur: quare non solum ipsae leges diurnis nocturnisque laboribus sunt versandae et examinandae, sed tum veterum iurisconsultorum ingenia sunt adeunda, tum multi recentiorum, qui plurimum probantur, interpretum commentarii evolvendi. Nihil autem magis oratoris facultatem explicat atque ostendit quam si ab ipsis principiis hauriantur leges [2]). Age, quaelibet lex ut a ratione

Intelligens.

Ab ipsis principiis hausta.

1) Inst. Prooem.—2) V. Cic. Part. XXXVII. XXXVIII.

semper proficisci debet, sic plerumque rei vel facti alicuius occasione fertur: quare forensi patrono necessaria sunt tum legum Historia, tum iuris philosophia. Historia legum mentem legislatoris, et finem legis ostendit: Philosophia iuris de natura et aequitate legis iudicium fert: utraque, utpote vera legum principia, mirum quantum et dicendi copiam, et arguendi materiem et orationis dignitatem in foro probet!

Cognitio causae.

Parvo iustitiae et honestatis amore caperetur is, qui sine magna causae cognitione civium opes vitam et libertatem defendendam susciperet: omnis enim actio incondita oratione, altercationibus et clamoribus solum haberetur, summo dicentis dedecore, et maximo reorum damno. Sed praestat audire illustrem Tullii locum, quo et rei necessitas et causam cognoscendi ratio ab exercitato iam oratore aperiatur. *Ut aliquando ad causas deducamus illum, quem constituimus, et eas quidem, in quibus plusculum negotii est, iudiciorum atque litium.... hoc ei primum praecipiemus, Quascumque causas erit acturus, ut eas diligenter penitusque cognoscat... In foro tabulae, testimonia, pacta, conventa, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est: quarum rerum negligentia plerasque causas, et maxime privatas (sunt enim multo saepe obscuriores) videmus amitti. Ita nonnulli, dum operam suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare et a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas: in quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiae, susceptis rebus; vel perfidiae receptis: sed etiam illa maior opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere... Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, et ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur, et agere adversarii causam, ut ille agat suam, et quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque cum ille discessit, tres personas unus sustineo, summa animi aequitate, meam, adversarii, iudicis* [1]).

Tullii hac in re industria.

Cum cliente loquendum.

Hac Tullii industria pluries cum reo est colloquendum. Multa ille exponet vel superflua, vel aliena: sed longo sermone ea saepe prodet, quae aut verum quaestionis statum declarant, aut naturam argumentorum, aut

1) II. De Orat. XXIV.

etiam subdolorum hominum fraudes, et frequentes rudium errores [1]).

Cognita causa statuendum est summa cum perspicuitate, in quo causae vel litis cardo vertitur, quid proprie negandum, quid adfirmandum, qua in re ab adversario discedendum: deinde omnes orationis partes, et praesertim argumenta magno ordine disponenda sunt ita ut nihil sit confusi, nihil permixti, nihil quod iudicum vel mentem fatiget, vel alienet voluntatem. Hae perspicuitatis et ordinis virtutes, licet sint semper quaerendae, in foro tamen maxime sunt necessariae: ex iis enim felix causae forensis exitus consequitur. Orationis oeconomia.

Communes exordii et narrationis leges quas superius exposuimus a patrono in foro praecipue sunt servandae. Nam ipsa iudicialis controversiae natura aliquod exordium semper postulat: narratio autem huius loci adeo propria est, ut fere omnis causae sit fundamentum: vel enim de crimine, hoc est de facto, quod propterea narrandum est, agitur, vel de iure, quod universe cum facto aliquo coniungitur. Exordium. Narratio. In argumentatione distinguendae sunt iudiciorum causae: causa enim, ut recentiorum verbis utar, vel *criminalis* est, cum de crimine, vel *civilis* cum de iure agitur. In criminali accusator primum crimen commissum fuisse probat; deinde, quae leges violatae sint, ostendit; tertio quae poenae ex iustitia et aequitate infligendae sint, aperit. Argumenta accusatoris in *crimine*. Crimen autem probatur ex facto ipso, ex vestigiis facti, ex testium auctoritate, ex reorum confessione, ex coniectura sumpta ab antecedentibus, a consequentibus, ab adiunctis. Quae singula Tullius ita declarat: *Ante rem quaeruntur quae talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum, convivium. Cum re autem pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbrae, et si quid huiusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, et si qua alia signa conturbationis et conscientiae: praeterea restinctus ignis, gladius cruentus, ceteraque quae suspicionem facti possunt movere* [2]). Defensor ex iisdem argumentorum fontibus aut factum omnino negat, aut non constare probat, aut certe minuere illud aut poenam eius contendit. Defensoris partes.

Ad civilem causam quod attinet, ius continetur aut legibus, statutis, consuetudine, aut possessione et praescriptione, aut conventionibus, testamentis, donationibus, privilegiis: quarum Utriusque officium in causis *iuris*.

1) V. Quint. Lib. XII. c. 8.—2) Top. 12. Vid. II. Orat. 40.

rerum qui adfirmant, τὸ ὑπάρχειν et robur, verborum et sententiarum intelligentiam comparando, ostendunt, vim extollunt, aliis atque aliis monumentis asserunt: qui vero negant, legis vel scripti infirmant auctoritatem et elevant pondus, alia et contraria adferunt documenta, praeiudicia, testimonia. Quare hoc in genere plurimum locum habet legum interpretatio et disceptatio: verissime enim hac in re de hodierno foro dicitur oratoris finem saepe solum in convincendo esse, nec propriam eloquentiae vim sed ingenii potissimum acumen promi posse.

Ubi affectus locum habent?

At animorum motio hodie in causis *criminis* maxime adhibetur. Nam ibi de facto agitur, quod interdum non liquido constat, saepe iis adiunctis instruitur, quae difficillime iudicari possunt: quare aditus arbitrio fit et voluntati. Si accedunt illustres quaedam reorum conditiones, vel potentium accusatorum invidia et calumnia, tunc forti oratori plurima affectus movendi offertur occasio. In litium autem iudicio patronus fere id curat, ut clare ostendat id quod verum est, quod iustum, quod aequum, neque laborat ut motu adhibito iudices flectat: siquidem id plerumque non inopportunum solum, sed iniuriosum nunc esset.

Demosthenis et Tullii exemplum.

Cum motus adhibendi sunt vel sedandi, Demosthenem et Tullium sequemur. Ob optimorum enim oratorum inopiam hi solum evolvendi et versandi sunt ab iis, qui eloquentiae dignitatem tueri volunt. Qua in re videndum quid imitandum. Tullii hiperboles, amplificationes, dicendi copia multa cum prudentia nunc usurpari debent: diligens autem utriusque studium ad animos auditorum vel flectendos vel inflammandos solum, ubi fas est, summoque cum iudicio usui esse potest: nam ne ipsi quidem veteres sine gravibus ad mentem revincendam prolatis iam argumentis animis motum adhibebant: quod existimare possumus ex orationibus pro Milone et pro Fonteio. Quod si quis uni potissimum auctori velit inservire, Tullium proponam: plura enim imitatione digna habet [1]). Modum enim controversiam proponendi, aptam in iudicum animos insinuationem, distinctam facti narrationem, aut explicationem rei, ordinem expositionemque argumentorum nunc etiam ex Tullio optime exprimere possumus. Quin illam vivos personarum characteres effingendi rationem solum a Romano oratore discemus; qui tan-

1) V. Caussinum Lib. I. c. 62 et seqq

quam aliud agens apte et decore vitam et mores hominum graphice describit.

Si recte intelligatur, pro rerum ratione,in nostro quoque foro valet adhuc forma dicendi, quam praescribit Tullius: *Esse igitur perfecte eloquentis puto non eam solum facultatem habere, quae sit eius propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam eius atque finitimam, dialecticorum scientiam assumere* [1]). Quamquam hodie ad dialecticorum formam licet magis accedere: quare stilus plerumque erit temperatus et planus et fere solum ratiocinationi aptus: nisi quod evidentioribus interdum coloribus res quaedam, praesertim aridae, sunt efferendae: ardor etiam dicendi quidam oratorem, qui clientium personam agit, multum decet, dummodo temperetur in rebus dubiis, nec adversarios, vel quod esset peius, iudices ipsos offendat. Puritas nitor et proprietas sermonis eluceat, viteturque verbosa illa dicendi ratio, in qua oratores tantopere arguuntur: perspicuitas erit maxime in controversia statuenda, in facti narratione,in explicatione rei, in legibus interpretandis, idque breviter et praecise: sed argumentatio diffusa potius; ut factorum ambages et multarum legum tenebrae variis artibus solvantur, vario disiiciantur lumine. Stili ratio in foro hodierno.

§ IV.

De subsidiis Civilis Eloquentiae

Ea civilis eloquentiae subsidia aestimantur, quae vel excolunt vel augent vel perficiunt oratoris facultatem, si habeantur dona naturae: magna nimirum fortissime sentiendi et acerrime imaginandi vis, imprimisque vigor et firmitas iudicii; vasta et penetrans res quasque earumque principia et adiuncta celeriter arripiendi ordinandi et promendi virtus; animi fortitudo et praestantia, *quam*, ut ait Fabius, *nec metus frangat nec acclamatio terreat nec audientium auctoritas ultra debitam reverentiam tardet* [1]); ad haec, praeclarae quaeque corporis et oris vultusque dotes. Quapropter Tullius: *Sic igitur*, inquit, *censeo: naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam... Nam et animi, atque ingenii celeres quidam* Dona naturae prius habenda.

1) Orat. XXXII.

motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint uberes,et ad memoriam firmi, atque diuturni. Et si quis est qui haec putet arte accipi posse, quod falsum est (praeclare enim se res habet, si haec accendi aut commoveri arte possint...) quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam, et figura totius oris et corporis [1]?

Ars necessaria.

Naturam primum excolit ars, ex ipsa natura proficiscens. Notatio enim naturae et animadversio artem peperit. Nam cum primum homines naturali dicendi facultate eloquentiae vim promere ceperunt, extiterunt qui et orationis praestantiam admirarentur, et rei causas indagarent: quare sensim nata sunt praecepta, quibus certa via et ordine naturam ipsam sequendo ad eloquentiam perveniremus. Merito igitur Cicero statuit non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia esse natum. Arte vero naturae dona, quae sunt bona fiunt meliora, et quae non optima aliquo modo acui tamen et corrigi possunt: doctrina praeterea fit, ut oratio sit culta et polita ; ut explicetur , si haereat, si redundet, coerceatur; ut per partes apte et apposite intra decori limites ducatur. Non multum ergo saperent patroni, qui omnem artem aut verbis in sermone, aut re, quod est peius, in foro contemnerent, existimantes se omnia ingenio solum posse: quod nec Demostheni, nec Tullio datum est.

Optima Exemplaria.

Verum plenior artis ratio hauritur ab optimorum oratorum exemplaribus, in quibus idoneus praeceptorum usus cum ipsa ingenii natura coniunctus reperitur. Optimi vero oratores habentur classici, hoc est hi, qui communi et constanti totius reipublicae litterariae consensu in eloquentia palmam tulerunt. Quare probatorum exemplarium studium perenni iam experientia compertum est plurimum utilitatis afferre: optimos enim quosque attente et cogitate legendo non solum tutam viam certosque duces nanciscimur, sed paullatim eorum disserendi rationi, res explicandi modo, ordini, perspicuitati, sermonis virtuti, magnitudini sententiarum, dicendi pulchritudini assuescimus.

Quae esse debent?

Nec vero civili oratori hoc oneris imponimus, ut omnes, qui ceteris eloquentia praestiterunt, auctores evolvat. Tullius fere

1) I. Orat. 25.

unum Demosthenem adamabat: nos unum Tullium studio et diligentia assidue versabimus. Nam in vulgari eloquentia difficile est optima exemplaria invenire: laudantur quidem in publicis concionibus Ioannes Casa, Albertus Lollius, Speronius; sed vix Ioannis Casae orationes et paucae quaedam conciones, quae in optimis Italicarum rerum scriptoribus occurrunt, uti exemplaria proponi possunt a). In sermonibus academicis praestant Salvianus, Torquatus, Salvinus aliique recentiores: sed in fori eloquentia fere nullus nostrorum multo cum fructu legi potest: si qui nostra aetate in foro excellere visi sunt, argumentorum vi et sententiarum forte gravitate pollent; oratoria arte et praesertim optimo dicendi charactere multum peccant. Itaque verborum copiam et italici sermonis proprietates ab optimis, qui multi habentur, auctoribus discemus; vim et facultatem eloquendi a Cicerone, qui in omnibus causarum generibus dux et magister esse debet. Nam si eius vestigiis insistendis adhibeatur studium, et res omnes ad nostros usus nostrumque forum prudenti iudicio ducantur, civilis quoque eloquentiae gloria, quae una adhuc deesse videtur, Italiae adiicietur. Ad hoc autem eo vehementius ferri debemus, quod eadem via, et in re quidem dissimili, iam illud assecutus fuerit Segnerius, qui propterea Tullius Italicus appellatur.

Quid a Tullio sumendum?

Duo quae meminimus civilis eloquentiae subsidia, ars et exemplaria, aut viam tantum ostendunt oratori, aut aliorum produnt facultatem, acuunt et promovent nostram: quae ipsam dabit eloquentiam, plena et multiplex rerum scientia erit [1]). Quare Tullius et saepe testatur dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus fluere, et primo de oratore: *Ac mea quidem sententia*, inquit, *nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, et redundet oportet oratio* [2]).

Multiplex rerum scientia.

Positum sit igitur imprimis sine philosophia non posse esse eloquentem. Nam quantum opus est dialectica, ut genus et speciem cuiusque rei cernamus, ut definiamus, explicemus, tribuamus in partes; iudicemus quae vera sint quae falsa, videamus consequentia et repugnantia, distinguamus ambigua? Qui

Philosophiae necessitas.

1) V. Cic. I. Or. V. XIV.—2) I. Orat. VI.
a) V. *Guicciardini*, nella Storia d'Italia.

haec ipsa praestabimus, orationisque adferemus materiem nisi aderit rerum physicarum, humanarum, divinarumque cognitio, in qua est pars altera philosophiae? Tertia autem pars illa, quae dicitur moralis, profecto tota est oratori propria et accommodata: de vita enim, de officiis, de virtute, de moribus agit: quarum rerum si magnam et ab ipsis principiis petitam scientiam quis non habeat, disertus fortasse esse poterit, eloquens non poterit [1]).

Christianae Religionis sapientia.

Philosophiae coniungatur oportet Christianae Religionis sapientia, quae ipsam philosophiam stabilitate, amplitudine, perfectione donat, mentes hominum illuminat, dirigit voluntates, consilia actus mores temperat, alit, transfert in meliora, atque in novam, caelestem et veteribus penitus ignotam societatem humanum genus adstringit. Quidam contenti sunt certa Ecclesiae legum cognitione: sed parum est iuris canonici scientiam acquirere: hoc, sine quo nemo in foro dicere et iudicare potest, vix pragmaticorum est. Vita et spiritus Christianae Religionis est hauriendus; ut oratione digna causis, digna nobis, digna iis, apud quos in concionibus vel in foro loquimur, sapientissime utamur: nec solum in sententiis et iudiciis a nostra et auditorum vitae professione verbis saltem et agendi modo non discrepemus; sed facto civilem societatem et religiosam vel unam omnino esse vel difficillime distingui posse et separari comprobemus. Quod ipsi ethnici faciebant, qui etiam cum errore praesentissimis Religionis argumentis et auxiliis utebantur ad populos tum convincendos tum permovendos: cuius rei illustre exemplum est in orationibus pro Milone et Fonteio.

Quibus nititur legum cognitio?

Magnis philosophiae et religionis fundamentis aedificanda est vasta et immanis illa scientiae legum moles, quae in hodierno oratore tantopere laudatur: nimirum iuris gentium doctrina, et iuris civilis, iuris publici, omniumque legum cognitio: quibus tum veteres tum praesertim novae respublicae gubernantur. Verum haec potius materies, in qua orator proxime versatur, quam civilis eloquentiae subsidia sunt dicenda. Cum tot ac tam variae tam diversae naturae legum studio copulanda est multarum rerum, quae plurimum oratorem iuvant, eruditio: sciendae enim primum sunt societatum origines, constitutiones, pro-

Eruditio.

1) V. Quint. Lib. XII. c. 2.

gressiones, exitus felices aut infelices, negotiorum tractandorum rationes, et rei cuiusque causae, adiuncta, eventa, consequentia: tum penitus comprehendendi populorum atque hominum mores, gentium consuetudines, varia dissentientium civium ingenia. Quae omnia cum experientia, tum praecipue historia sunt acquirenda. Historia autem ad exempla etiam oratori est necessaria: *In primis enim*, ait Fabius, *abundare debet orator exemplorum copia: cum veterum tum etiam novorum: adeo ut non ea modo quae conscripta sunt historiis, aut sermonibus velut per manus tradita, quaeque quotidie aguntur, debeat nosse, verum ne ea quidem quae sunt a clarioribus poëtis ficta negligere* [1]. Historia.

Superest exercitatio, qua facilitas seu tum bona naturae, tum naturae ad eloquentiam subsidia prompte et feliciter expromendi facultas illa paratur, sine qua cetera, quamquam necessaria, non satis ad dicendi vim prosunt. Facilitatem autem multo scribendi, legendi, et dicendi usu consequimur: in his igitur assidua erit oratoris exercitatio. *Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit: et citra lectionis exemplum labor ille carens rectore fluit: qui autem scierit quo sint quaeque modo dicenda, nisi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes casus habuerit eloquentiam, velut clausis thesauris incubabit* [2]. Exercitationis necessitas.

De scribendi exercitatione plura alibi sunt tradita: nunc id unum ad rem propius facit: Ut *iuvenis, qui rationem inveniendi eloquendique a praeceptoribus diligenter acceperit et exercitationem quoque modicam fuerit consecutus, oratorem sibi aliquem (quod apud maiores fieri solebat) deligat quem sequatur, quem imitetur; iudiciis intersit quam plurimis, et sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator: tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et ipse componat, vel etiam alias, veras modo, et utrimque tractet: et quod in gladiatoribus fieri videmus, in rebus actis (in veris negotiis) exerceatur* [3]. Quae in scribendo?

In lectione tria sunt reputanda: qui auctores legendi; quid potissimum in his ipsis, quos eligimus, versandum; quomodo legendi. Nam non omnes, qui aliqua scientia aut eloquentia pollent, sunt evolvendi, sed optimi quique: in his autem id praeci- Quae in Lectione?

1) Lib. X. cap. 1.—2) Lib. X. cap. 1.—3) Lib. X. cap. 5.

pue intuendum, in quo seipsos magis adamarunt, et vitanda loca, si quae occurrant, vitiosa: tandem in lectionis ratione duae servandae leges. Altera Plinii: *Multum legendum esse, non multa:* altera Fabii, ut *Repetamus et tractemus : et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur; ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, et velut confecta, memoriae imitationique tradatur* 1).

Quam in dicendo necessaria ? Maxima vero esse debet dicendi exercitatio, ut comparemus dicendi ex tempore facultatem, sine qua nullus orator civilibus officiis interesse potest. Nam expedit quidem ut paratus quis dicere malit: sed dicere ex tempore plerumque est necessarium. Innumerabiles enim accidunt subitae necessitates continuo et sine ullo studio et praeparatione magnas causas agendi: ut cum vel in concionem novum et imminens affertur negotium, vel in foro acceleratur iudicii tempus, aut alia in dicendo suboritur quaestio. Adversario autem sine improviso dicendi facultate plerumque nihil apte respondebimus: siquidem ea, quae opinati sumus, et contra quae scripsimus, saepe fallunt, et tota subito mutatur actio. Age, ad subitam dicendi facultatem confert

Unde haec comparatur? quidem artis praecepta ita cognita et perspicua habere, ut uno mentis obtutu oratio in partes distribui possit: sed potissimum comparare primum debemus plurimam optimi sermonis materiem; deinde multo et fideli stilo sic formare orationem, ut scriptorum colorem etiam, quae subito effusa sint, reddant: tandem ut cum multa scripserimus, multa etiam vel soli, vel, quod est melius, coram optimo teste dicamus 2).

CAPUT V.

DE ELOQUENTIA SACRA

Sacra eloquentia propria praecepta habet. Communibus oratoriae praeceptis sacra eloquentia regitur: nam sacri quoque oratoris est et argumentis fidem facere, et animorum motibus voluntates flectere; idque iis orationis artibus, quas ab ipsa natura edocemur. Verum ob rei dignitatem et orationis materiem, quibus sacra a civili eloquentia longe distat, tum in ipsis orationis partibus sunt quaedam sacri oratoris ita propria, ut universis eloquendi praeceptis haud com-

1) Lib. X. cap. 1.—2) V. Cic. *Brutus*, 89 et seqq.

mode definiri possint, tum diversa orationum genera proprias quasdam leges sibi vindicant. Quare, posita sacrae eloquentiae natura, primum de sacrarum orationum partibus aliquid dicemus; deinde ipsas orationes ita dividemus, ut aliae ad deliberationis, ad exornationis genus aliae referantur. Propositum est enim sacro oratori mentes instituere, educare animos, mores formare; ut homines, qui ad caelestis regni gloriam revocantur, veterem omnem conditionem exuentes, christianasque induentes virtutes, tum Deum rite sancteque colant, tum ad tantam adipiscendam dignitatem felicius promoveantur. Ad haec opus est non solum auditorum animos a vitiis deterrere, ad virtutes inflammare; verum et caelestis doctrinae amplitudine praestantiaque imbuere, et divina quaedam sanctitatis exemplaria edocere: quae iidem intuentes in eisque defixi sublimioris vitae similitudinem atque imaginem exprimant. Duo igitur primo sunt sacrae eloquentiae genera: Conciones, quibus potissimum aut mores corriguntur et informantur, aut solum erudiuntur mentes: tum Laudationes, quibus vel Dei ipsius natura et maiestas, bonitas, amor, sapientia, providentia, iustitia, misericordia; vel divina Iesu Domini vita et caelestia decora, muniaque; vel sanctorum caelitum, qui illum, quoad licuit, proxime sunt secuti, virtutes celebrantur. Utroque hoc genere explicato, de reliquis orationibus, quae ad alterutrum revocantur, aliqua saltem edisseremus, ac postremo, ut ad omnes orationes sacras parati simus, propria sacrae eloquentiae auxilia demonstrabimus.

Sacri oratoris Institutum:

Ex quo varia orationum genera.

§ I.

De Natura Sacrae Eloquentiae

Sacra eloquentia, licet serius perfecta, rerum tamen magnitudine et dignitate, ac instrumentorum varietate et copia illustrior, omnia civilis eloquentiae genera eo longius antecellit, quod illa caduca solum negotia agunt, haec immortalia maxime pertractat; illa humana sunt, haec est divina: quippe quae Deum ipsum auctorem habet et magistrum, rebusque caelestibus adeo constat ac afficitur, ut iis etiam, quae ex naturae contemplatione vel ex humana doctrina sibi in famulatum adsciscit, spiritum quemdam et fulgorem divinitatis impertiat. Nec

Sacrae eloquentiae dignitas.

enim graviora ipsa humanae cognitionis inventa, quae splendor quidam divinae sapientiae habentur, caelestis haec facultas respuit; sed in suam veluti possessionem transfert et efficit nobiliora.

Eius natura. Omnis autem sacrae eloquentiae vis in eo posita est, ut argumentis, ex Christianae fidei Religione vel desumptis vel confirmatis, humanum genus et ab immani culpae ac aeternae damnationis barathro relevet, et divinis excolat virtutibus, et ad caeleste regnum, quod Iesus nobis adeptus est, Dei ipsius nomine evehat ac perducat.

Sacri oratoris munus. Nam Dei legatione fungitur orator sacer, Deique Filium agens verbum illud continenter annuntiat, quod a Patris ore ad hominum salutem Iesus attulit. Non enim Servator noster, cum in caelum rediit, Patris verbum secum tulit; sed Ecclesiae a se constitutae custodiendum, et Apostolis, ac iis, qui Apostolos exciperent, universo hominum generi praedicandum, commisit: ut sacrorum praeconum ministerio in iis omnibus, qui hereditatem capiunt salutis, formaretur Christus. Nam, ut cum Patribus loquar, quemadmodum Dei Filius humanam naturam induens et in similitudinem hominum factus, nos omnes in suam imaginem transtulit, ut in Dei Filios cooptati caelestis regni efficeremur heredes; sic Dei verbum, verbo humano, divina aucto virtute, coniunctum, Iesu Domini imaginem in hominibus vel exprimit, vel perpolit, vel excolit, ut immortalem illam gloriam consequantur.

Sacrae eloquentiae Fons Dei verbum. Videte iam sacrae eloquentiae fontem unum esse, eumdemque verbum Dei: videte unde repetendi sint mirabiles illi christianae religionis per Evangelii praedicationem successus. At Dei verbum omnium veritatum est complexio, quas Christus Iesus, e caelo delapsus, hominibus praedicavit, quaeque tum in natura sunt, tum potissimum supra naturam: Deus nimirum ipse prius eiusque natura, divinae proprietates, cultus, religio; deinde homo, hominisque origo, caelestis constitutio, lapsus, reparatio, atque universa gratiae et sanctitatis per Iesum oeconomia: ut instituta a Iesu sacramenta, ut lex et morum virtutumque praecepta, ut divina fides, spes, charitas, ac reliquae divinitus additae virtutes.

Verbum Dei Ex scriptura et traditione. Verbum Dei non nisi ex sacra Scriptura et divina traditione hauritur: quae simul, Christi Ecclesiae magisterio subiecta, rerum credendarum agendarumque regula existunt. Sed traditio doctrina Ecclesiae, cui Dominus Iesus integrum Fidei mo-

rumque depositum credidit, conciliis, praesertim oecumenicis, sacra liturgia, publica et solemni Ecclesiae in cultu et sacramentorum ritu consuetudine, sanctorum Patrum scriptis, Christianaeque Religionis monumentis transmittitur. Quare haec omnia in probata theologorum doctrina instructo oratori cum ad probandum tum ad movendum argumenta suppeditant, quae communibus artis locis dilatantur, augentur, expoliuntur. Nam hic quoque definimus seu describimus, ex vi verbi arguimus, distributione utimur, afferimus consentanea vel contraria, similia vel dissimilia; quae sunt rerum causae aut causarum eventus, quae rem praecedant vel consequantur, tum adiuncta, comparationes, alia explicamus. Argumenta consuetis locis tractantur.

Si quis autem fulgere, tonare, animos hominum permiscere velit, ex sacris Bibliis potissimum et veterum Patrum libris id obtinebit. Quid enim eloquentius Prophetarum libris? Qui melius quam Patres christianae fidei capita et omnia morum praecepta aperuere? Enimvero quem ethnici oratoris locum huic Isaiae exemplo compares? *Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura, qua ante servisti: Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, Caedentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exultavit. Abietes quoque laetatae sunt super te, et cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. Infernus subter te conturbatus est in occursum adventus tui: suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terrae surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti* [1].... Quot huiusmodi exempla huc afferri possunt vel ex eodem Isaia vel ex aliis Scriptorum et Prophetarum libris? [2] Quae potiora?

1) Isai. XIV. 3. V. Sap. V. Psal. XXVIII. CXLIII.—2) V. *Audisio*, Sac. Eloq. vol. 3.

Ad teneros autem vehementioresque affectus concipiendos legendus omnino Iobus [1]), et Ieremias [2]).

Quod si adimus Patres, praesertim graecos, quanta eloquentiae admiratione percellimur? Audiamus brevi Basilium et Chrysostomum, alterum diluvii ruinam, alterum martyrum ad supplicia alacritatem describentem.

Diluvium ex Basilio.

Α''νωθεν οὐρανός χειμάῤῥους ἠκόντιζε, κάτωθεν ἤπειρος ἀβύσσους ἀνέπεμπε, καὶ πρὸς τὴν ὕδατος φύσιν ἡ κτίσις ἐστοιχειοῦντο. Οὐκ ἔτι ξηρᾶς καὶ θαλάττης διάκρισις, ἑνί ῥείθρῳ τὰ πάντα συνείχετο. οὐκέτι πηγαὶ, καὶ λίμναι, καὶ κρῆναι σὺν χάριτι ῥέουσαι, ἀλλ' ἀγρίοις πελάγεσι κατεποντίζοντο τὰ σύμπαντα. Οὐ βλαστημάτων κάλλη, καὶ δένδρων ἄνθη, οὐ πόλεις, οὐ πεδιάδες, οὐχ' αἱ τῶν ὀρέων κορυφαὶ, ἀλλὰ πάντα τοῖς κύμασιν ἐναυάγει, κοινῷ καλυπτόμενα τάφῳ. Οἱ πολυάνθρωποι δῆμοι σὺν κακίᾳ τῆς γνώμης ἐκυβίστων ἐν μνήμασι. ἣν γὰρ ζῶντες ἐμόλυναν, ἀποθνήσκειν ἀπ' αὐτῆς οὐκ ἠξιοῦντο. Οὕτω μὲν οὖν τῇ τοῦ κατακλυσμοῦ περιβληθέντες σαγήνῃ, ἐν ταῖς τῶν κυμάτων πληγαῖς σφενδονούμενοι πρὸς ἐλεεινὸν θανάτου τρόπον ὑπεφέροντο, ταῖς ἀλλήλων συμφοραῖς τιμωρούμενοι. οἱ μὲν ἀθρῶον χωσθέντες τοῖς ὕδασι, νεκροὶ ταχεῖς ἀπεδείκνυντο· οἱ δὲ ἐμπνέοντες, αἰσθήσει τοῦ πάθους μακρὸν ὑπεδέχοντο θάνατον. ἄλλοι δὲ καὶ πρὸς βραχὺ προσκαρτερήσαντες, μακροτέραν τοῦ θανάτου τὴν τιμωρίαν ὑπέμειναν, κ. τ. λ.

Superne caelum torrentes emittebat, inferne terra abyssos relaxabat, et ad naturam aquae res creatae in sua clementa redigebantur. Nulla iam aridae marisque discretio; unius fluenti alveo continebantur omnia: non iam scaturigines, et lacus, et fontes cum voluptate fluentes; sed immanibus undis demergebantur universa. Non germinum species, et arborum flores, non urbes, non planities ulla, non montium vertices; sed omnia fluctus inter naufragio ferebantur, communi operta sepulcro: frequentissimae gentes una cum animi improbitate volutabantur in monumentis: qua enim viventes se foedaverant, ab ea morientes non merebantur abiungi. Ita diluvii sagena comprehensi, inter fluctuum vortices rotati, ac mutua calamitate puniti, miserando mortis genere surripiebantur:

1) Iob. III. XVI. XVII.—2) Ierem. Thren. I. II. III.

hi confestim aquis oblimati, confestim mortui videbantur: illi spirantes non sine mali sensu longam excipiebant mortem: alii modico durantes tempore longiorem morte cruciatum sustinebant, et cetera [1]).

Οὐ γὰρ μόνον οὐκ ἐνέκοψε τῶν πεπιστευκότων τὴν προθυμίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπέτεινε πλέον, καὶ μείζω καὶ θερμοτέραν αὐτὴν ἐποίησεν. ἄνθρακας ὑπεστόρεσά, φησιν, οἱ δὲ ὡς ἐπὶ ῥόδα ἔτρεχον· πῦρ ἀνῆψα, οἱ δὲ ὡς εἰς πηγὰσ ὑδάτων ψυχρῶν ἑαυτοὺς ἔῤῥιψαν. κατέξανα τὰς πλευρὰς, καὶ βαθείας ἀνέτεμον αὔλακας, καὶ κατήγκαγον ῥύακας αἱμάτων, οἱ δὲ ὡς χρυσίῳ πάντοθεν περιῤῥεόμενοι, οὕτως εκαλλωπίζοντο. Τοῖς κρημνοῖς ἔῤῥιψα, καὶ εἰς πέλαγος κατεπόντισα, οἱ δὲ οὐχ' ὡς εἰς βυθὸν καταβαίνοντες, ἀλλ' ὡς εἰς αὐτὸν ἀναβαίνοντες τὸν οὐρανὸν, οὕτω διέκειντο σκιρτῶντες καὶ ἀγαλλόμενοι, καὶ ὥσπερ ἐν ἱερᾷ πομπῇ χορεύοντες, καὶ ἐν λειμῶνι παίζοντες χλοερῷ. οὕτω τὰς τιμωρίας ἕκαστος ἥρπαζον, οὐχ' ὡς τιμωρίας, ἀλλ' ὡς ἄνθη λαμβάνοντες ἐάρινα, καὶ στεφανούμενοι, καὶ τῇ τῆς οἰκείας προθυμίας ὑπερβολῇ τὰς εμὰς προέφθανον τιμωρίας.

Martyrum alacritas ex Chrysostomo.

Non solum enim animi alacritatem eorum qui crediderant non cohibuit; sed etiam magis auxit, eamque moiorem ac vehementiorem effecit. Carbones, inquit, substernebam: illi autem tamquam ad rosas currebant. Ignem accendebam: illi vero tamqnam in fontes frigidarum aquarum seipsos proiiciebant. Latera caedebam, profundos in eis sulcos faciebam, et rivos sanguinis deducebam: illi autem tamquam auro omni ex parte circumfluentes gloriabantur. Per praecipitia iaciebam, et in mare demergebam: illi vero non tamquam in profundum descendentes, sed tamquam in ipsum caelum ascendentes, ita affecti erant, exilientes et exultantes, et velut in sacra pompa choreas ducentes, et in viridi prato ludentes: ita arripiebat unusquisque cruciatus, non tamquam cruciatus, sed tamquam vernos flores carpentes, seseque coronantes, et insigni animi sui alacritate cruciatus meos praeveniebant [2]).

Ea, quae de natura sacrae eloquentiae libavimus, facile ostendunt, quae sint eiusdem praecipuae dotes, quae propria di-

Dotes sacrae Eloquentiae.

1) Bas. Orat. in Noëmum.—2) Chrysost.In S. Rom.M.Laud. I.n.2.

cendi ratio. Summa virtutum est: *inspiratio*, quae ex divini verbi commentatione nascitur; gravitas, quae ex rerum magnitudine; ardor animi, qui ex hominum boni et Dei gloriae amore; ac molliens ille et insinuans loquendi modus, qui ex rerum gravitate et ardore animi, suavi motioni coniunctis, gignitur. Quam enim *unctionem* dicunt, nihil est aliud, quam tenera quaedam et deliniens dicendi ratio, ex rerum gravitate et incenso easdem auditoribus suadendi desiderio in oratore profecta. Quod tunc potissimum obtinetur, cum oratoris vita cum eiusdem oratione optime congruit: nam animi fere plus exemplo, quam dicentis verbis moventur.

Quid *Unctio*?

Stilus sacrae Eloquentiae.

Dicendi vero ratio perspicua erit in primis : ad omnes enim hominum coetus habetur oratio. Quare verba inusitata et minus obvia, praesertim si philosophica sint aut nimis poëtica, non sunt usurpanda. Sed nihilominus sermo feretur semper gravis et nihil incultum, rude, abiectum, aut plebeium admittet. Ipsa praeterea rerum gravitas et magnitudo, tum oratoris ardor et studium saepe postulabunt stilum vivum, incensum, vehementem: quapropter metaphorae, similitudines, splendidiores figurarum rationes, dummodo prudenter adhibeantur, sacrae eloquentiae maxime convenient.

§ II.

De sacrarum orationum partibus

Exordium.

Exordium ex eo etiam in sacra oratione est, ut ait Chrysostomus, necessarium, quod auditores ex rerum caducarum negotiis ad caelestium cogitationem sunt revocandi ac praeparandi: habet autem praeter communes leges, hoc proprium, ut amabilem quamdam modestiam caelestemque oratoris sanctitatem redoleat. Meminerit orator, vel maxime in principio, se Dei praeconem esse, auditores autem oratoris gravitate ad virtutem ac pietatem erigi. Quam etiam ob rem placent Gregorii Basilii et Chrysostomi exordia, quae hodiernis oratoribus sunt volvenda.

Invocatio.

Exordio interdum subiicitur invocatio, quae et opportuna esse debet et affectibus distincta [1]).

Narratio.

Narratio, quae et saepe, in Homiliis praesertim, exordii lo-

1) Ved. *Segn*. Pred. I. n. I.— Angeli che sedete...

cum tenet [1]) et tota oratione spargitur, maiorem quam in civili eloquentia, splendorem ac dignitatem habet: ea enim plerumque exponit, quae vel ipsa sunt magnis laudibus efferenda, vel orationem exornant atque illuminant. Quod fit cum narratio probandi vel declarandi gratia adhibetur: quare ad descriptionem accedit, interpunctis tamen sententiis, et comparatione ad rem nostram subiecta [2]). Raro profana narratur historia [3]): fabulosa fere nunquam: quidquid vero affertur, sequatur maxime decorum. Mira est Ambrosii in Agnetis martyrio eloquentia. *Natalis est sanctae Agnetis: mirentur viri, non desperent parvuli, stupeant nuptae, imitentur innuptae... Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quae non habuit quo ferrum reciperet, habuit unde vinceret. At istius aetatis puellae torvos etiam vultus parentum ferre non possunt, et acu districta solent puncta flere, quasi vulnera Haec inter cruentas carnificum impavida manus, haec stridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia sed parata; vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter ignes manus atque in ipsis sacrilegis focis trophaeum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusque ambas inserere nexibus: sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Novum martyrii genus! nondum idonea poenae et matura victoriae: certare difficilis, facilis coronari magisterium virtutis implevit, quae praeiudicium vehebat aetatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum laeta successu, gradu festina virgo processit: non intorto crine caput compta, sed Christo; non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu* [4])... Ambrosii exempulm.

De propositione nihil esset addendum, nisi disputassent nonnulli de ipsius unitate et divisione. Ex Graecis Demosthenes in civili et Basilius, Chrysostomus, aliique in sacra eloquentia continenter ab exordio in orationem rapiebantur: qui, nedum partitionem facerent, vel ipsam propositionem aperte non exponebant. Romae Hortensius primus divisionem adeo adamavit, ut irrideretur interdum a Tullio; qui tamen illam saepe ad- Propositio an simplex?

1) V. *Segn.* Pred. IX.—2) V. *Segn.* Pred. VI. n. 6—Gericuntini — *Tornielli* Pred. V.—Giuditta.—3) V. *Segn.* Pred. XIII n.6.
4) De Virgin. lib. I.

hibuit [1]) A sacrae eloquentiae instauratione Segnerius et Bourdalouvius, alter in Italia, in Gallia alter oratorum facile princeps, contrariam iniverunt rationem: alter enim divisioni, prior unitati propositionis adhaesit. Quare alii partitionem extollunt, ut et auditorum animi ad ea, quae proponuntur, intendantur, et maiori perspicuitate niteat oratio: alii unitatem anteponunt, qua tum orator ad unam rem vires omnes referat, tum auditores unitate defixi crescentibus usque argumentis premantur, moveanturque.

Discrimen inter Gallos et Italos.

Quid ergo? fuerunt, qui quaestionem eluderent: dixerunt enim partitionem recte adhiberi, cum mentem instruere solum vult orator; at cum vult praecipue movere, praeferendam omnino esse unitatem. Verum de concionibus, quae potissimum movent, est controversia. Discrimen igitur, quod inter Gallos Italosque intercedit oratores, non est in hoc quod illi instruant, alteri moveant; sed quod priores ad amplam doctrinae materiem etiam se convertant, nostri animorum motioni praesertim studeant; quare pro re nata primi divisione, alteri unitate delectantur. Nos, quamquam unitatem [2]) et orationis gravitati, et Italorum, qui hac in re magistri nobis esse debent, ingenio magis accommodatam esse ducimus; tamen divisionem etiam [3]), si recte fiat, interdum probabimus. Nam quod Fenelonius, qui quidem sententiam suam proprio exemplo destruit, olim ait divisionem scholasticorum inventum esse, non cogitavit non referre a quo quid sit inventum, sed quid ad rem conferat: praeterea vir eruditus, dum in alios vult invidiam commovere, non dubitat inscitiae fere notam sibi inurere, quasi nesciverit aut Hortensii Tulliique exempla, aut Fabii hac in re praecepta.

Fenelonius refellitur.

Quae divisio probatur?

At enim, inquit, divisiones orationis unitatem dissolvunt, impetum oratoris reprimunt, motum animorum retardant: nequit enim oratio continenti cursu ad finem usque crescendo progredi. Sed erit una oratio, si propositionis partes altera ab altera mutuo ita nectantur, ut in unum conspirent; si cum ex sacra aliqua sententia ducuntur partes, hae cum sententia naturali nexu contineantur; si, quod caput est, propositionis membra, gravia ampla et fecunda, ita collocentur, ut

1) V. pro Quintio, Divin. in Ver., pro Lege Manilia, pro Murena, Archia.—2) V. *Segn.* Pr. I. n. I. Pred. XI n. I. Pr. XXXIII. n.I.—3) V. *Bourdal.* Pr. XXXII.—Pr. I. Avv.

tum quoad mentem tum quoad animum semper crescat oratio [1]). Ex his etiam facile quis intelliget aequam divisionem neque oratoris impetum reprimere, neque animorum motum retardare posse. At quando maxime adhibenda est divisio? Cum res postulat ex ipsa causae natura, vel auditores plurimum sunt instruendi, ut moveantur. Illud unum monemus: ut propositio, quaecumque sit, simplex vel distributa, ab ipso exordio videatur naturali modo oriri, ut in syllogismo ex praemissis consequentia.

Quando adhibenda?

Quamquam in argumentorum collocatione parum videtur requiri studii, nam omnia argumenta sunt firmissima; adhibebit tamen sacer orator iudicium: sunt enim multa, quae magis auditorum vel mentem penetrant, vel animum percellunt. Eligetur itaque ille confirmationis ordo, qui videbitur orationis victoriae accommodatior. Quod si quis amet prius ex sacra Scriptura, deinde ex Patribus, tum ex aliis locis argumenta afferre, nec semper nec plurimum huic rerum seriei haereat, praesertim cum rei natura ex philosophia vel theologia saepe prius est explicanda, et orationis varietate vincenda est satietas. Iuvat vero ex plena causae cognitione attentaque consideratione omnia argumenta ad praecipua quaedam capita antea revocasse, atque ita disposuisse, ut magis ac magis ascendere possit oratio: tum in dicendo naturam et animum eorum induere, quorum exprimimus sententias. Ex quibus fiet, ut res perspicue enuntiemus, confirmemus graviter, evidentioribus pingamus coloribus, atque vim omnem argumentorum promamus. Qua in re iis, quas in amplificatione exposuimus, legibus utemur, curantes ut multum sensus phantasiamque oratione impellamus [2]). Difficultates autem sponte e re nascantur, proponantur fere ab auditoribus, et saepe nova argumenta adducendi occasionem praebeant [3]). In quibus dissolvendis, praeter communes leges, eniteat veritas; nihil enim nostra lux timet: tum multa sit dexteritas et urbanitas, ut oratoris prudentia et cum dignitate modestia eluceat.

Argumentorum collocatio.

Eorumdem expositio.

Ad adfectuum motionem, reputet sacer orator quid adferre debeat, quos adfectus praecipue excitet, quem teneat in excitan-

Cura in affectibus.

1) V. *Bourd.* Pred. IV. Elemosina — Pr. V. Avv. II. Penitenza.
2) V. *Segn.* Pr. III. n. 4. Disc. del SS. Sacr. n. 5.
3) V. *Segn.* Pred. III. n. 5. 6. Paneg. S. Ignazio n. 5.

do modum. Ac primo summa debet esse oratoris sacri in affectibus tractandis cura et industria. Nam primum, ut ait Tullius, *Plura multo homines iudicant odio aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut praescripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula aut legibus* 1). Deinde sacro oratori longe gravius acriusque, quam forensi, auditorum resistunt animi. Hoc enim agitur, ut qui audiunt non de aliis sed de seipsis iudicium ferant, se damnent, sua vitia quae multum admodum diligunt, avellere et abiicere statuant, contractas labes graviter expiare incipiant, ac demissis iis, quibus maxime delectantur, ea sectanda aggrediantur, quae ardua et durissima existimant. Quod animorum motione praesertim obtinebimus: pauci enim inter eos, qui nos audiunt, sua defendunt vitia, nec multo opus est labore, ut errores abiiciant: sed fere universi ad affectuum patrocinium se recipiunt: restingendi ergo pravi affectus, ut optimi inflammentur. Verum in hoc caveat diligenter orator, ne quid afferat, quod per aures ad animum transmissum bonis offensioni sit, malis periculo: de vitiis sensuum praesertim, in quibus ob tempora praeclari etiam oratores liberiores interdum fuere, vel nulla facienda est singillatim mentio, vel si res omnino postulabit, sic est dicendum ut citra etiam, si ita loqui fas est, prudentiae fines, quos temporum et auditorum personae praescribent, loquamur.

Oratoris prudentia.

Fides, timor Spes, caritas.

Qui ciendi sunt potissimum affectus, ab ipsa Ecclesia constituuntur: Ecclesiae enim est non modo intellectum aeterna veritatis luce illuminare, sed voluntatis quoque affectus divinae caritatis igne purgare et sanctos efficere. Christiani vero affectus sunt: Fides, Timor, Spes, Caritas 2). Sed Fides heic non spectatur prout est purus mentis actus; verum prout imbuitur pio illo atque obsequenti voluntatis motu, qui ex consideratione caelestium veritatum divina ope vehemens in animis gignitur, totamque christiani hominis vitam alit et nutrit 3). Fidem excipit Timor: nam cognita per Fidei lumen sua malitia et aeterno, quod meretur, supplicio inspecto, homo culpae obnoxius Dei iustitiam in primis extimescit, atque a prava vitiorum semita ut plurimum declinat. Solet autem quam maxime Dei vindicta timeri: at ubi menti occurrit Dei bonitas et misericordia,

1) Orat. XLII.—2) Trid. Ses VI. c. 6.—3) V. *Paull.*, Hebr. IX.

tunc exurgit spes, quae mirum quantum animos ad virtutem et sanctimoniam accendit. Sed animae christianae sanctitas perfectioque in Dei caritate consistit : cnm Dei autem amore amor hominum coniungitur, qui est nostrae Religionis tessera.

Cum officium sacri oratoris sit auditores ad aeterna mala vitanda et ad aeterna bona adipiscenda deducere, patet affectus praecipue tractandos esse timorem et spem: ille aeternae iustitiae rigore, haec divinae bonitatis misericordia excitatur. Nunquam tamen timor et spes sunt separandi : nam cum auditores perculerit timore orator, spe erectos tandem demittere debet, ut ad vitam recte instituendam incensi proficiscantur. Cientur etiam amor in virtutem aut in virtute praeditos, desiderium, confidentia, laetitia, et aemulatio in charismata meliora: tum odium, in vitia quidem non in homines, fuga, horror, dolor, et misericordia. Omnium affectuum causae ducuntur ex consuetis motuum sedibus; nisi quod ad sacra sunt deducendae, et argumenta mutuanda ex sacris litteris, ex sanctis Patribus, ex Religionis monumentis : ut actus, qui eliciuntur , sint christiani et caelesti merito imbuantur.

Praecipue timor et spes.

Alii affectus.

Ratio, qua affectns sunt excitandi, haec erit: ut gradatim vires animi sequamur, neque eas praeveniamus: nihil enim saltu natura operatur. Humanum igitur cor vestigabimns, et eo tempore, eo modo, ea gradatione, quibus in nobis affectus cieri animadvertimus, etiam in aliis excire conabimur. Quare non sapiunt, qui priusquam dixerint vel probaverint invehi incipiunt, nec illud Ciceronis meminerunt: *Si orator non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur* [1]. Parandi sunt animi, adspergenda affectuum semina, sensim alenda, non turbanda iocis aut facetiis, non minuenda ineptis digressionibus ; sed semper augenda, donec pervidemus auditorum pectora comparata esse ad commotionem excipiendam : tunc denique motum adhibebimus.

Ratio affectus permovendi.

Solet perorationi aliquid praeire, quod alteram orationis partem vocant. In hac, qua maxime excellit Segnerius [2]), cnm iam plenissime argumentum in prima parte confirmaverimus, id solum contendimus, ut vel rem totam ad peculiarem vitae bene

Orationis pars altera.

1) Orat. XXVIII.—2) V. *Segn.* Pr. II.n.11.—Pr. III. n. 9. —Pr. IV. n. 9.

instituendae rationem, quotidianosque usus deducamus, vel insignem aliquam difficultatem solvamus, ut faciliorem viam ad perorationem instruentes, voluntates vehementius commoveamus. Sed ut auditores ad postremam hanc partem audiendam maneant, erectoque adsint animo, opus est ut prius subtili quadam industria saltem sciendi cupiditate detineantur [1]).

Peroratio. Perorationem autem expedimus collatis argumentorum viribus simul ad mentem illuminandam, simul ad expugnandam voluntatem. Quamquam enim singulis orationis partibus opus est affectum illum praecipuum, quem excitare proposuimus vel sedare, semper prae oculis habere; eumdem tamen urgebimus praesertim in peroratione [2]). Hic enim omnes orationis vires, uno quasi temporis puncto, colligit atque experitur orator. Curabit vero ut numquam suipsius causam sed solum virtutis et religionis patrocinium suscipere videatur. Paucae sunt orationes sacrae, quae tantum epilogo cum virtute et dignitate clauduntur: ut plurimum ipse epilogus animorum motioni permiscetur, ac ita argumenta repetimus, ut omnia ad affectus ciendos conferamus.

Finis. Saepe precamur in fine Deum, Iesum Dominum, B. Virginem, Sanctos Caelitum: interdum aliqua sacrarum scripturarum, vel Ecclesiae precum expositione concludimus: possumus etiam vel brevi et ad vitae usum saluberrimo monito, vel acuto quodam dicto, quod auditorum mentem feriat, animisque infixum haereat, orationem absolvere [3]).

§ III.

De Concionibus

Quid concio? Vt compertum est, in sacra eloquentia, ipsa rerum gravitate, principem locum habet concio proprie dicta, seu oratio, qua mores corrigendos informandosque orator suscipit, in eaque maximas eloquendi vires exercet. Quare huius naturae conciones, praesertim quae per maioris ieiunii tempus habentur, summe ostendunt sacrae orationis virtutem, dignitatem, ac praestantiam.

Est duplex. Concio duplex est: alia praecipue suadendi, alia in-

1) V. *Segn.* Pred. II. — Pred. VI.
2) V. *Segn.* Pred. II. Pred. III. Pred. V. XIV. XXVIII.
3) V. *Segn* Pred. IX. Pred. XIV. *Tornielli*, Pred. sul Giud. Univer.

struendi praesertim causa instituitur. Nam divini verbi praeco non solum voluntatem movere, eiusque malitiam expugnare imprimis debet, sed saepe mentem christiana fide et disciplina, ac virtutum, quas assequamur, et vitiorum, a quibus declinemus, apta scientia imbuere. Quamquam enim fere voluntatis pravitate, saepe tamen mentis errore et ignorantia homines a recto virtutis tramite deflectunt.

Prioris generis concio.

Cum suadendi potissimum causa habetur concio, non erit nisi sacra oratio, qua quis certam quamdam ad mores pertinentem ac christianam veritatem argumentis, ex auctoritate divina maxime desumptis, graviter probandam suscipit, ut auditores eadem veritate convicti commotique decernant abstinere ab eo, quod ea in re est prohibitum, et facere quod est praeceptum, ipsam pravam naturam et inveteratam quamlibet consuetudinem expugnando. Nec solum Religionis veritates, eaeque ad mores educandos plurimum facientes, proponi debent a); sed eligendae quoque illae, quae magis videntur profuturae, et magis sunt auditorum personis accommodatae. Non enim orator e suggestu dicit, ut reconditas subtilioresque humani ingenii vestigationes pandat; sed ut, res omnes cuiusque gentis moribus, temporum vicibus, locorumque adiunctis accommodans, homines cum virtutum amore ac vitiorum fuga, tum divinarum rerum fide veraeque pietatis officiis meliores efficiat. Quare abstrusior philosophandi ratio, Scholasticorum subtilitates, ipsa denique dogmatica theologia, si intempestive usurpatur, non levia sunt oratoris sacri vitia: illa autem recentiorum quorumdam res physicas, choemiam, botanicam, et huiusmodi alia iactandi libido inepta est, ne dicam stultam. Quod si primas ipsas religionis veritates, quae sua vigent auctoritate, suadere interdum praestat, id oblique solum fiat, atque ita, ut aliquid ad morum sanctitatem adducens continuo inferatur. Integri propterea sermones, seu tractatus potius, contra atheos, incredulos, et insanos philosophos, sapientiorum hominum iudicio, in suggestu non probantur [1]).

Eiusdem materies.

Quae vitiosa?

Atque hinc illud quoque patet, sacri oratoris materiem, quam- Definita et

a) V. *Segneri*, Intr. al Quares. — Mi son proposto di provare ogni volta una verità, non solamente Cristiana, ma pratica, e di provarla davvero. id. ib.

1) V. *G. Audisio* Sac. Eloq. vol. I. lez. 5. e 6.

actionis esse debet. quam definita non sit, et ab oratoris universim arbitrio determinari videatur, tamen, si prudenter eligitur, ab ipsis temporum et auditorum necessitatibus ad certum atque urgens argumentum revocari. Quo enim in numero haberi posset orator, qui vel generales tantum controversias tractaret, vel de moribus non apta locis et personis oratione diceret? Quare, contra quam quis docuit, viva etiam sacrae eloquentiae materies est. An in tanta mentium perversitate, animorumque corruptela minime movebitur orator? An Dei verbum non continet sacra eloquentia? Atqui Dei verbum caelesti vita actuosum perpetuo operari debet [1]). Amemus ergo propositiones illas, quae *actionis* sunt, et auditores proxime attingunt, easque multa unitate, summa argumentorum vi et magna eloquendi facultate in publicum afferamus: nec dubitemus ad nostram orationem omnes se commovere animos.

Viva est.

Concionis gravitas.

Huius enim generis conciones ita virtutes omnes ad persuadendum, et vitia ad insectandum complectuntur, ut omnia versent causarum genera, quibus Graeci et Romani tam mirifice floruerunt. Nam religionis orator caelestem virtutum omnium cohortem pulcherrima exornat splendoris et gloriae corona, non tam aureis dicendi floribus, quam miris humanae ac divinae imprimis sapientiae gemmis contexta: tum non caducarum rerum et brevis momenti negotia, sed res agit, quae Deum inter hominesque intercedunt, spectantque immortalem vitam et sempiterni gaudii, aeternarumque poenarum discrimen: tandem reos culpae homines non ad alterius mortalis iudicium, sed ad verendum Dei ipsius tribunal adducit. Quare omnia oratoriae facultatis instrumenta, et praesertim divinae ac humanae sapientiae thesauros adhibere debet, et eniti forensis eloquentiae amplitudinem excedere cum rerum delectu tum sermonis magnitudine atque venustate, et totius orationis gravitate, magnificentia, dignitate.

Eius partes et studium.

Iam, si concio suo officio erit responsura, primo ex adiunctis loci personarum et temporis aptam et valde gravem materiem seu argumentum summo delectu constituemus, et quod maxime personas afficiat : ut res novitatem quamdam induant, et ad reconditos animorum recessus descendant. Deinde multa et attenta meditatione eiusdem materiei claram et planam co-

1) V. Matth. XXVIII. 18. 19. 20.

gnitionem assequi studebimus: tum ex ipsius rei studio et id statuemus, quod concione universa obtinere volumus, et proponemus affectum seu animi motum quem praecipue excitare vel compescere debemus ad finem illum assequendum. Post haec amplam assumptionis propositionem inveniemus, qua graviter multaque cum vi quod est nobis constitutum expugnemus. Tandem argumenta cum ἀποδεικτικά, tum ἠθικά et παθητικά vestigabimus, ac quidquid ad argumentorum amplificationem, vim, et ornamentum commode faciat, accurata consideratione moliemur. Harum vero rerum copia totius orationis oeconomiam commentabimur.

Convenientia cum Liturgia.

Sed ut argumenti materiem, quae deceat, afferamus, et excitemus, qui conveniant affectus, ipsam Ecclesiae mentem in maiori ieiunio et in variis, pro ratione temporum, Mysteriis attento studio contemplabimur. Quae vero sit Ecclesiae mens, patet ex cuiusque diei liturgia [1]). Illam igitur mentem animumque induemus: ut cum dignitate et fructu Dei verbum annuntiemus, nec blandiamur auditorum auribus, qui saepe ex interdictis theatrorum spectaculis ad famam aucupantium concionatorum oblectamenta transmitti videntur. Quod si de Mysteriis, quae per annum recoluntur, habetur concio, tunc ipsum cuiusque sollemnitatis mysterium et vastam orationis materiem, et proprium affectum inde ciendum suppeditabit. Neque timendum est, ne ad infimam homiliam divergat concio: nam tum ipsa mysterii doctrina graviter et eloquenti sermone tractata, tum vehementiori animorum motu sublimior efferetur. Quod praestat imprimis Bourdalouvius, qui hac in re est prope divinus: quamquam neque hic velim Italos a Segnerii eloquentia unquam discedere [2]), dummodo aliqua, quae interdum incidunt, eius temporis vitia, evitentur.

Alterius generis concio.

Cum concio hoc sibi sumit, ut mentes praesertim instruat, tunc erit oratio, quae certa quaedam fidei capita, vel melius christianae morum philosophiae praecepta explicanda aggreditur, ut auditorum mentes erudiat, ignorantiaeque tenebras, vitiorum causas, expellat. Plerique enim aut virtutes parum excolunt, aut in vitiis turpiter marcescunt eo quod necessariae doctrinae expertes, et naturae propensioni, ac pravis aliorum

1) V. *Audisio*, El. Sacr. vol. I. lez. 15.—2) V. *Audisio* Eloq. Sacr. V. III. lez. 5.

moribus obsequentes, contra rationem et Fidei lumen agere ac Dei legis contemptores esse saepe non advertunt. Materies huiusmodi concionum erit interdum Fidei veritatum expositio, saepius explicatio alicuius praecepti divini aut Ecclesiae, ratio sacramenta cum fructu celebrandi, modus aliquam virtutem adipiscendi, vel contrarium exuendi vitium, et alia quae huc commode referri possint. Stilus autem praestabit clarus, planus, distinctus, purus, nitidus: cuiusmodi est Segnerius in immortali de christiani hominis institutione opere 1).

Eius oeconomia.

Ut vero cum successu haud poenitendo divina haec concionis ratio tractetur, opus est, ut primo accommoda audientium necessitati vel utilitati materies eligatur: tum informatur lata et perspicua eiusdem materiae cognitio: deinde totius orationis certus finis praefigitur. Hinc constituitur propositio, ut plurimum distributa, ad propositum finem obtinendum idonea, et argumenta seu probationes, tum comparationes, similitudines, exempla, alia singulis capitibus propriora tribuuntur. Quibus ex rebus perspicua sermonis oeconomia manabit.

Rerum in unum conspiratio.

Quaecumque autem sint conciones, quamdam caelestium veritatum complexionem ad christanum hominem perfecte poliendum educandum perficiendum summa rerum conspiratione efficiant. Quapropter sacer orator, praesertim cum per adventus et maioris ieiunii tempus conciones est habiturus, diu multumque cogitet, quid sibi proponat, quibus veritatibus id obtineat, quo ordine se excipere debeant orationes. Ex huius enim studii negligentia saepe fit, ut sacrae ipsae expeditiones, et divina S. P. Ignatii exercitia vel a sanctissimis et doctis viris tenui et brevis admodum aevi fructu habeantur.

§ IV.

De Laudationibus Sacris

Laudationis praestantia.

Laudationis genus nobilissimum atque amplissimum semper est habitum: quippe quod et totum continetur honestate, et cetera dicendi genera sic pervadit, ut quidquid habent decori, quidquid gloriosi, ab ipso mutuentur. Sed laudationes sacrae eo etiam sunt praestantiores, quod cum purius ab ipso virtutis

1) Christiano Istruito.

et sanctitatis fonte hauriuntur, tum latius ad praeclariora quaeque exornanda non sterili et infecundo veterum studio, sed caelesti quodam in Deum ipsum pietatis sensu excitantur. Deus enim ipse, Angelorum chori, Iesus Deus-Homo et Rex idem Angelorum, beatissima Virgo Dei et hominum mater, Apostolorum triumphi, Martyrum coronae, Virginum palmae, Sanctorum Caelitum decora, virtutum praeconia, ea omnia, quae hominum genus vel hic praeclare gerit, vel in futuro sempiternae felicitatis aevo exspectat, sacra eloquentia laudibus efferuntur. Materies.

Equidem instituti nostri ratio est, ut universim de Sanctorum laudibus tantum dicamus. Verum, quoniam ea, quae de Sanctis Caelitum attingemus, difficile admodum Mariae Sanctae Dei genetrici cum dignitate accommodari possunt, amor noster in tantam Virginem, et materna eius in nos pietas non modo postulat sed flagitat, ut aliqua saltem de B. Virginis laudationibus singillatim proponamus. B. Virginis Laudes.

B. Virginis laudes sumuntur primum ex sacris litteris. A primo enim harum libro, in quo illa, utpote Servatoris Dei mater, inferni draconis caput contritura praedicitur [1]), ad extremum usque, in quo Ioanni apparet signum magnum in caelo *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim* [2]), tot sunt prophetiae, tot figurae, tot symbola, tot illustria loca, quae ad sanctam Virginem vel aperto sermone vel alludendo referuntur, ut non modo nulli unquam in ea laudanda deesse possit oratio, sed vel infantes ex tanta dicendi et exornandi copia divino quodam orationis flumine fiant diserti. Sed ut omnem sacrarum litterarum vim explicemus, consulemus imprimis sanctos Patres, qui in B. Virgine praedicanda non solum uberrimam immensae commendationis segetem, sed caelestem illam, qua par est, ut tam singularem mulierem summis laudibus extollamus, eloquentiam suppeditabunt. Plurima etiam laudis argumenta capiuntur ex sacra liturgia, in qua Ecclesia instinctu afflatuque divino omnia ea collegit, quibus in S. Virginem vel admiratione percelleremur, vel inflammaremur amore. Accedamus praeterea ad Sanctorum vitas, atque infinita illa in communem hominum matrem pietatis exempla hauriamus; ut in nobis Reginae caelorum crescat existimatio, augeatur pietas, exardescat amor, maior in

Petuntur ex sacris litteris.

Ex Patrum scriptis.

Ex aliis locis.

1) V. Gen. III.—2) V. Apoc. XII.

dies erigatur confidentia. Quod si convertimur ad gentes, a quibus omnibus beatam se praedicatum iri ipsa Virgo praedixit[1]), ex mirabili illo summe consentienti omnium populorum in Maria vel laudanda vel colenda concursu, mirum quantum magna rerum copia sponte parthenio se offeret praeconi, ut eius exultet et triumphet oratio. Quid plura? dicam quod sentio: nescio quo, sed amantibus loquor; in nobis ipsis diserta Virginis exornandae materies reperitur, eoque abundantior atque sublimior, quo maiori erga illam amoris incendimur flamma [1]).

Laudes B. Virginis amplissimae.

Iam vero, partheniam orationem exordientes continuo Virginis laudes cum Sanctorum Caelitum, cum Angelorum, cum Dei ipsius laudibus implicitas esse atque cohaerere videmus. Cum enim immaculatus Mariae conceptus, aut natalis eius dies, aut ab Angelo salutatio, aut triumphus, quo in caelum est recepta, aut aliud tantae Virginis praeconium celebratur, mira quadam conspiratione statim et hominum genus universum, et omnes Angelorum acies, et Deus ipse, cum laudis uberrimo augustissimae Triadis mysterio, interveniunt. Quare orator ex hac tanta praeclarae et sublimis laudationis materie omnia verset, omnia expendat; ut ea seligat, quae ad rem suam maxime faciant: ibi enim maior delectus ab oratoris iudicio est adhibendus, ubi fecundiores sunt argumentorum segetes.

Sacrarum laudationum origo.

Christianae laudationes natae primum sunt in cryptis et hypogëis, in quibus recenti Christi fidelium multitudini, persecutionis causa in secessum receptae, ad pietatem fovendam et excitandam aemulationem, acta Martyrum aut legebantur aut narrabantur. Sed cum seculo quarto Iesu Crux, calido adhuc eiusdem sanguine suffecta, ex sepulcrorum tenebris emersa in militum vexillis, atque adeo in imperotorum fronte effulsit; tunc denique cum magnificis cultus divini pompis, apertisque Religionis triumphis propriam virtutem et splendorem extulerunt etiam sacrae laudationes: quarum praeclariora exempla habentur in Basilio, in Gregorio, in Chrysostomo.

Earum natura.

Age, qui has orationes ex earumdem origine, ex optimorum exemplaribus, ac imprimis ex Religionis hac in re mente sapienter diiudicaverit, nihil aliud eas esse intelliget, quam sollemnes fortissimorum virorum, qui vel apostolicis laboribus, vel martyrii corona, vel praeclariorum virtutum exercitio mire

1) V. Luc. cap. 1.—2) V. *Segneri*, Divoto di Maria.

floruerunt, commendationes; quibus et admiratio in Deum Fideique nostrae gloriam, et obsequium pietasque in Sanctos, et christianarum virtutum amor atque aemulatio in auditoribus excitetur. Quocirca in Sanctis Caelitum laudandis hoc enitemur, ut rerum praeclare gestarum narratione tum gravissima ac ornatissima laudatione illos cumulemus, tum ad praeclaras eorumdem virtutes exprimendas exhortemur instruendo auditores: valet enim in omnibus, quod de Martyribus inquit Augustinus: *Sollemnitates Martyrum exhortationes sunt martyriorum; ut imitari non pigeat, quos celebrare delectat* [1]). Earumdem finis.

Qua in re Galli, qui ad Religionis doctrinas diligenter evolvendas natura sunt proclives, res a Sanctis praeclare gestas, brevioribus finibus comprehendunt, ut instruendi locus latior pateat: contracta enim historia, ad mores hominum sanandos informandosque virtute gravi quadam maiestate feruntur. Sed Itali praeclara quaeque Sanctorum facta colligunt, atque summa unitate donant; ut magno laudum cumulo illos ornent, ac prudenti ipsa et suavi narratioue virtutem auditoribus inspirent. Utraque ornandi ratio habetur probabilis: quae autem sit alteri praeferenda, docebit opportunitas, ac locorum temporum et rerum adiuncta. Ceterum, ut sollemnioribus Sanctorum diebus non reprehenderem, si quis praecipue admirationem gloriam et amplitudinem sancti viri extolleret; ita semper cuperem, ut in orationis fine ad virtutem, quam celebravit, commendandam aperte quisque descenderet. Implicita enim illa morum informatio nemini fere prodesse solet. Quid vero opportunius, quam, cum magnam de alterius virtute admirationem excitaveris, incensis iam auditorum animis aliquem ad imitationem motum adhibere? [2]). Galli et Itali in texendis laudibus.

Cum igitur panegyri duplex ille propositus sit finis, Sanctorum nimirum gloria et auditorum sanctitas, facile est ex illo leges orationis capessere. Quae continentur magna in oratore scientiae et pietatis doctrina, diligenti Sanctorum vitae lectione et studio, ac prudenti factorum delectu. Quod si propriae cuiusque res gestae et vitae ratio lateat, laudes ac morum doctrinas ex illius sanctitatis fonte hauriemus, qua quis insigni meriti corona redimitur: ut martyrium, ut virginitas, ut alia quaeque excellens virtus. Eligat autem orator non solum ea, quae Leges sacrae Laudationis.

1) Serm. XLVI. De Sanctis. 2) V. Cic. II. Orat. LXXXIV. LXXXV.

mira sunt et ardua, ad admirationem; sed etiam quae facile exprimi possunt, ad aemulationem accendendam: non modo enim quod arduum quod magnificum quod sublime est, sed et facile et iucundum et utile tractabit, uteturque ornamentis, apta tamen morum informatione aspersis. Sed morum informatio ducetur ex ipsa re, atque ita ut cum vita rebusque a Sancto gestis intime coniuncta, et virum semper prae se ferat et orationis splendore illuminetur: sic enim Sanctorum laudationem et auditorum utilitatem quaerere debemus, ut vel una sit et perpetua oratio, vel saltem ab una re ad aliam facilis et suavis sit transitus. Ornamenta vero non solum in optimo dicendi genere, in descriptionibus figurisque, quae omnia cum dignitate sunt usurpanda; sed potissimum in variis iisque solidis aptisque pietatis ac sanctitatis luminibus consistent. Qua in re neque odiosas comparationes, neque eruditiones profanas, neque abstrusas et sophisticas doctrinas usurpabimus. In profanis quidem eruditionibus afferendis peccavit interdum Segnerius: sed longe maxime aberrant alii, qui cum Barberio, non bono laudationum auctore, res argumento alienas cum veritatis et prudentiae detrimento in sacrum suggestum ferunt.

Morum informatio.

Ornamenta.

Optimam sacrarum laudationum speciem amplexus est Segnerius, qui ab ipso exordio veram Sanctorum imaginem assequitur. Duplex enim in panegyri exornanda est ratio: artificialis scilicet et naturalis. Illa, temporum ordine non multum diligenter servato vel aliter exposito, omnia ad certa quaedam capita consulto refert: altera historiae et temporis ordinem servat, ac tria in tempora dividi solet: quod vitam antecesserit, quo quis vixerit, et quod mortem sit consecutum. Quae narrationis series probabilis videtur, eaque usus est praeclare Bossuetus in laudatione S. Sulpicii: sed ratio laudationis optima habenda artificialis, ususque apud nos obtinuit, ut perspecto virtutis genere, quo quis excelluit, illud veluti principium statuatur, ad idemque omnia alia revocentur. Ita facere consuevit Segnerius, qui in propria cuiusque sanctitatis idea constituenda et laudanda est plane admirabilis: non solum enim illam ita arripit, ut nemo quidquam melius excogitare possit; sed perpetuis iisque crescentibus usque argumentis, ex ipsa historiae, oratorie narrata, desumptis, confirmat, auget, expolit, atque in auditorum animis infixam relinquit. Quod si defensione opus sit, totam Ciceronis eloquentiam promit: nec vero multum in peroratione pec-

Duplex exornandae Panegyris ratio.

Segnerii vestigia insistenda.

cat, ut imprudentes quidam cum Barberio cavillantur. Itaque repudiemus quidem plerosque eius titulos, qui aetatis fuere, perorationem, si volumus, adornemus aliter; sed tanti oratoris vestigia omnino insistamus.

§ V.

De Reliquis Orationibus Sacris

Quae plurimum quoque in sacra eloquentia celebrantur orationes, hae sunt: Homilia, Sacrarum Litterarum Enarratio, et Oratio funebris: prima in mixto dicendi genere, reliquae in exornativo maxime versantur. Homilia , ἀπό τοῦ ὁμίλου , qui coetus est et multitudo, ut inquit Augustinus, est sermo valde familiaris: sed tamen ex ipsa rerum, de quibus agitur, gravitate erigitur saepe homilia et grandiori dicendi ratione effertur. Propositum est his sermonibus, germen illud pietatis , quod Christiana Religio in sua liturgia excolendum atque alendum suis praebet, in auditorum animis inserere, ac plena rerum explicatione imis defigere radicibus; ut uberes sanctitatis fructus proferat. Nam in qualibet cuiusque misterii celebratione religiosa quaedam veritas inest, quae cum ad mysteria rite colenda mirum in modum valet, tum continenti serie cum ceterorum mysteriorum veritatibus nectitur: ita ut toto anni curriculo christianus populus progredienti luminum et affectuum ordine ad virtutis et sanctitatis perfectionem per quosdam veluti gradus ascendere possit. Qui igitur propriam homiliae eloquentiam vult expromere, mentem illam animumque, quem divino afflatu sentit et cum suis communicat Ecclesia, attenta consideratione hauriat, et propriis sacrarum rerum ornamentis coloribusque in auditorum animos transmittere studeat.

Quid Homilia? | Eius finis. | Mens Ecclesiae consideranda.

Duplex autem distingui debet homilia: alia enim ex universa sollemnioris alicuius diei liturgia, alia ex solius Evangelii expositione ducitur. Prioris homiliae, quam in concionibus attigimus, materies est id omne, quod in quavis sollemnitate Ecclesia sibi praestituit, et ex tota liturgia, ex divino scilicet Officio, et integra Missa notum perspectumque fit: ut Expectatio Servatoris, eiusdem Adventus, Praedicatio, Mors, Resurrectio, Ascensio, cum iis, quae ex singulis proficiscuntur cogitationes animique motus. Quibus in rebus orator hominis casum et re-

Prioris homiliae materies et natura.

staurationem, calamitatem et felicitatem, tum Dei bonitatem, pietatem, misericordiam maxime attendet; ut in hominibus poenitentiam faciendi, mores corrigendi, omnia officia colendi desiderium excitet. Divinarum igitur litterarum praesertim eruditione, et electa theologorum doctrina rem illustrabit, diversas, pro rerum diversitate, Dei virtutes commendabit, et adhibito motu animorum idonea paraenesi claudet orationem. Huiusmodi homiliae, quae stilum perspicuum, nitidum, elegantem, et saepe floridum saepius vehementem requirit, illustriora exempla sunt in Chrysostomo.

Alterius materies et partes.

Ad alterius generis homiliam, ut propria materies, spectant solum Evangelia : ad quae narranda et explicanda unius cum aliis Evangelii scriptoribus instituenda est collatio: tum veteris legis, quae illuc referuntur, prophetiae, figurae, et symbola eodem sunt ducenda. Verum ad morum doctrinam et Fidei capita illustranda plurimum conferet Epistolarum, quae cum Evangelio congruunt, commentatio. Ratio vero explicationis erit vel singulos graviores locos percurrere et sententias, quae ad vitam sancte informandam valent, exponere; vel, quod est optimum, ex toto Evangelii loco certam propositionem constituere, et ad eam confirmandam vel illuminandam omnia ea, quae in illo dicuntur, derivare. Qua in re id studio curabimus, ut, quodam sermonum veluti cursu, auditores Christi doctrina, praeceptis, et consiliis omnibus imbuamus. Proponantur, quae dicturi sumus, tum distribuantur in partes, et singula enucleentur: atque id omne fiat quadam rerum varietate et festivitate; quae tamen orationis tantummodo severitatem mitiget, eo generatim stilo, qui in docendo probatur, plano, claro, proprio.

Scripturae enarrandae ratio duplex.

Sacrae Scripturae enarrandae duplex est ratio: vel enim aliquem librum ordine atque integre edisserimus, vel insignis viri, qui in veteri aut nova lege floruerit, sic res gestas exponimus, ut non simplex quaedam narratio, sed viva quaedam et optime descripta repraesentatio habeatur. Nam ad illum virum omnia, quae in sacris litteris ad rem sunt, de industria referimus, omnia componimus ex rei fine et unitate, iam antea recte constitutis, et argumentis, quae ex rebus gestis praesertim ducuntur, confirmamus vel explicamus. Ac primum omnium veram libri virive ideam perspicue informet et teneat orator. Ex concepta enim et penitus perspecta illa idea lumen oborietur, quo et auditores ad sacras sententias capiendas iuventur, et o-

Studium et προλεγόμενα.

rator ipse principium aliquod inveniat, quocum omnia apte componantur. Quod si opus est, προλεγόμενα interdum sunt praemittenda, quibus orator viam sibi et auditoribus sternat, paretque illam quasi scenam, qua omnes res ea pompa eoque ordine geri videantur, quibus necesse est, ut facilius tum admiratio aliique excitandi affectus, tum praesertim divina ingerenda animis cognitio efflorescat. Qua in re multa altius sunt repetenda, multa ex aliis historiis accersenda, multa etiam ab externis mutuanda. Hoc enim modo aetas eiusque partes, tum facta eorumque causae et adiuncta cum perspicuitate constituuntur: ut causis cognitis, et re diu multumque provisa et cogitata, pleniorem rei, qua de agitur, intelligentiam et explicationem assequamur.

Coniungendum utrumque foedus.

Ut autem ordo textusque orationis egregius sit utrumque foedus semper est coniungendum: sunt enim partes unius rei. Quare cum vetus foedus exponimus, prophetias resque quae ad Ecclesiam Messiamque spectant, diligenter explicabimus; et coutra, cum novum enarramus, eadem illa, olim praedicta, iam impleta esse ostendemus: idque non scholarum more, sed graviter et cum eloquentia. Quod, maxime ad mores sanandos, plenius obtinebimus, si Bossueti principium amplectemur rebusque accommodabimus: omnia nimirum tum bona tum mala ad Dei Iesuque eiusque electorum gloriam ordinata vel permissa vel conversa esse [1]). Nam cum horum quoque sermonum is sit finis, ut auditorum mores optime informentur, apta morum doctrina tota distingui debet oratio: vel ipsa narratione sententias latenter insinuando; vel ad nostra tempora nostrosque homines aperte sub finem res componendo; ut moneamus auditores, moveamusque aliqua interdum digressione sed congrua. Nihil enim non deductum, nihil non coniunctum, nihil non suapte natura ex sacris libris profluens esse debet.

Morum institutio.

Explicationis tenor.

Verum non sunt imitandi neque ii, qui, brevi admodum Scripturae loco proposito, ad longas considerationes excurrunt: neque ii, qui sacram historiam fusius exponunt, sed nullam fere salutarem doctrinam tradunt, auditoresque frigidos ac ieiunos demittunt, cum illos delectare illuminare excutere deberent. Fugiendae etiam controversiae, quae ut minimum scholarum

1) V. Serm. De Hist. Univ

sermonem et tricas in suggestum inferrent: si quae incidunt difficultates, variae sententiae, loca obscura, et huiusmodi alia ex eruditis interpretibus sunt diluenda, sed quadam dissimulatione atque ita ut narratione ipsa omnia explicentur, quin orator in certamen descendere videatur. Neque omnis eruditio est probanda: in popularibus enim his orationibus a scopo aberrarunt, qui ut omnes, qui circumferuntur, errores profligarent, in easdem omnem rerum physicarum scientiam, mathesim, astronomiam intulerunt; nec intellexere se non amplius ad populum, sed ad eruditos homines, non ad mores formandos, sed ad animos peregrina solum scientia imbuendos iam loqui. Ea solum eruditio est usurpanda, quae parca sit, quae salutaris, quae praecipue ex sacris ipsis litteris, Sanctorum vita, Patrum scriptis accersatur.

Quae eruditio probatur?

Enarrationis Exitus.

Ad enarrationis finem quod spectat, cum orator, proposito universo quodam principio, quod omnia illiget et exponat, telam orsus, eam tandem variis orationibus absolverit; tunc pellucido epilogo rem totam repetit, auditorumque animos ad sententiam, quam praestituit, apposite revocat: ut eam in ipsis figat atque confirmet adhibito etiam affectu ad ea, quae consequuntur, quaeque ex factis ipsis deduxit, amplectenda. Solemus enim providam Dei gubernationem, vel quoad totum humanum genus, vel quoad singularem gentem, vel quoad unum hominem, quaquaversus intueri, suspicere, commentari: ut ostendamus Deum omnia vel ipsa mala ad suam gloriam hominumque salutem convertere; virtute praeditos extollere, malos poena afficere; nunc pietatem ac misericordiam adhibere, nunc iustitiam atque severitatem [1]).

Orationis funebris tres partes.

Oratio funebris in hoc est, ut doloris significatione et demortui laudes efferamus, et auditorum animos qua consolemur, qua ad eius virtutes imitandas accendamus: atque hinc etiam oratio funebris differt ab ellogio tum academico, quod hominis artem vel scientiam, tum historico, quod civilem vitam potissimum persequitur. Quare iure aiunt: *Orationem funebrem tribus omnino partibus constare: nimirum laude, consolatione, et paraenesi sive adhortatione: laude mortui, consolatione parentum et adfinium, paraenesi vero seu adhortatione ad su-*

1) V. *Granelli, Zucconi, Rossi, Pellegrini, A Cesari.*

perstites, ut in mortui vitam, atque virtutes, tamquam in exemplar, intueantur [1]):

Posito itaque principio, quod magis ad animos tum commiseratione tum attentione percellendos videbitur accommodatum, capita ipsa argumenti proponemus,ac tribus illis partibus orationem exornabimus. Mortui landes eadem, quam in panegyri descripsimus, ratione texemus; nisi quod rerum gestarum narrationem minus artificiosam ut plurimum vellem. Duo vero imprimis tota oratione prae oculis habenda: alterum ut illa non nisi moerorem et tristitiam spiret; cum tenero quodam ac alto religiosi doloris sensu tota debeat commoveri: alterum ut moratis et christiano homine dignis aspergatur sententiis.Eae enim huiusmodi orationes esse debent, ut in Ecclesia, quae veritatis et sanctitatis est domus, cum dignitate possint recitari. Qua in re praecipue excellit Bossuetus, qui in hoc dicendi genere sententiarum gravitate, et sacra quadam moestitia fert facile primas [2]). Earum expositio. Moesta sit. Et morata.

Moerentium autem dolorem consolabimur vitae a demortuo praeclare actae felici recordatione, honoribus viventi mortuoque habitis, certa spe aeterni gaudii, ad quod ille migraverit, filiorum nepotumque praesentia, qui paternae virtutis hereditatem sunt adituri. Virtutes denique, ad quas continenter ipsa oratione provocare debemus auditores, possumus interdum apertius illis imitandas motu aliquo proponere in peroratione. Qua etiam tum aeternam apud superos felicitatem mortuo adprecabimur, tum et immortalem apud posteros illius memoriam futuram pollicebimur, et magnum eiusdem in auditoribus excitabimus desiderium. Consolatio. Exhortatio.

A ceteris sacrae eloquentiae orationibus, ne costitutos iam terminos praetereamus, consulto abstinemus : nam *Neque est omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici possunt, a doctore tradantur; sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua non incommode persequuntur* [3]). Facile autem est earum naturam,argumenta, leges, et stilum ex rei cuiusque tractatione, ex fine, ex personarum conditione definire; praesertim si accedat magna oratoris prudentia,pietas, doctrina, et rerum experientia. Nam cum genera Ceterae orationes.

1) *De Colonia* L. IV. c. I. § 10.—2) V. Oraison funèbre de Louis de Bourbon.—3) Cic. II. Orat. 16.

illa concionum fere sunt partes, non video quid ad hoc afferre possint nova praecepta, quod non suggerat gravius et fructuosius sacri oratoris ingenium, animaram salutis amor, magnus rerum humanarum usus. Quidquid enim huc usque docuimus, id commode deduci poterit ad minores quasque orationes, quae ad excitandum, movendum, et hortandum fiunt: tum ad eas, quae vel ad ingenuos adolescentes, vel ad virgines Deo devotas, vel ad iuvenes sacris praeficiendos, vel ad certum hominum coetum, vel ad populum ipsum habentur. Nam si prima genera tenentur, continuo videbimus quid utile quid aptum quid decorum, pro rerum locorum et personarum natura, postulet.

§ VI.

De Auxiliis Sacrae Eloquentiae

Magna rerum cognitio.

Magni imprimis facienda optimorum oratorum experientia: non eorum modo, qui antea maxime floruerunt, sed eorum etiam qui forte aliqua virtute nunc celebrantur. Ait enim Augustinus: *Si acutum et fervens adsit ingenium facilius adhaeret eloquentia legentibus et audientibus eloquentes, quam eloquentiae praecepta sectantibus* [1]). Scribendi quoque usus, agendique exercitium, quorum alterum, cum de stilo comparando agebamus, attigimus, alterum mox exponemus, maximo adiumento erunt. Sed haec immensam quamdam rerum doctrinam poscunt: quamquam enim non solum ea, quae in usitato philosophiae et theologiae curriculo, verum illa etiam, quae in optimis litterarum disciplinis ponuntur studia, ita sunt necessaria ut sine ipsis nullo in numero sit orator; non sufficiunt tamen ad informandum verum illum oratorem, quem quaerimus. Accedat oportet vasta et intima rerum cognitio, qua non solum rem, de qua dicimus, comprehendere et possidere, sed possideri ab eadem et comprehendi quodammodo ipsi videamur. Ex quo fiat, ut veritatem variis, quas inducere potest, formis sub dium proferre liceat, abdita quaeque et verissima rerum principia pateant, gravioribus argumentis confirmentur sententiae, res mira quadam cognitionis amplitudine exponantur, facilis tandem plena et apta redundet oratio [2]).

Eius fructus.

1) De Doct. Christiana, IV. 3 2) V. Cic. Orat. XXIX.

Sit igitur hoc primum solemne oratori nostro, ut in divinarum litterarum studio diligenter et assidue versetur: maxime enim ex sacris libris christiana religio, atque ideo ipsi sacrae eloquentiae fontes amplissime derivantur. Sed quanta rerum scientia requiritur, ut huiusmodi studium prosit! quanta iudicii solertia ac prudentia! Atque iudicii solertia in sensu Scripturae interpretando vigebit praecipue. Duo autem omnino sunt eiusdem sensus: alter littera ipsa seu verbis patet, ac *litteralis* propterea dicitur: alter litterae subiicitur, et coniiciendo comparandoque innotescit: *mysticum* appellant. Primus est ille, quem verba ipsa prae se ferunt, aut propria, ut: *Tibi dico surge, tolle lectum tuum:* aut translata, ut: *Ignis succensus est in ira eius.*

Divinarum litterarum studium.

Earum sensus Litteralis.

Mysticus vero, quem *spiritualem* quoque dicunt, est ille, qui ex rerum similitudine christianaeque Fidei analogia efflorescit. Hic triplex est: *allegoricus*, cum antiqui foederis loca ad Iesum aut ad militantem Ecclesiam significandam deducimus: *tropologicus*, cum novae aut veteris legis exempla ad mores referuntur: *anagogicus*, cum ex sacrarum litterarum rebus ad sempiternae vitae bona, caelestisque iam triumphantis Ecclesiae gaudia erigimur. Quos sensus consueta perspicuitate exponit exemplo Segnerius, explicans Davidis sententiam: *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea* [1]).

Mysticus: qui triplex.

Nulli dubium est litteralem sensum, sive proprius sive translatus sit, alteri esse praeferendum, in eoque intelligendo, explicando, et ad res nostras apposite maximaque cum vi, ut consueverunt Bossuetus et Bourdalouvius, afferendo omnia studia collocanda. Sed cum ille praecesserit, tunc valebit etiam mysticus, et ad res uberius ornatiusque exponendas, et ad orationem ipsam tum sensilibus formis, adeo eloquentiae propriis, vestiendam, tum novis rationibus sustentandam. Multa enim litteralem sensum omnino aequiparant; puta cum Paullus in Epistola ad Hebraeos res omnes antiqui sacerdotii ad Iesu sacerdotium transfert, et Matthaeus populi electi reductionem ad Christi ex Aegypto reditum traducit: alia in christianae Fidei analogia tantam vim habent, ut nemo iisdem refragari possit. Nam cum omnia Hebraeis contigerint, ut ait Apostolus, in figura, sitque Iesus utriusque foederis centrum, et caput anguli utrum-

Litteralis praefertur.

1) V. *Manna* — 30 Decembre n. 2.

que coniungens, necesse est, ut res antiqui foederis conspicuae sint novi pacti imagines: siquidem inter τύπον et ἀντίτυπον magna intercedere debet similitudo.

Sensus attributus.

Est et alia divinarum litterarum significatio: *accommodatitiam* vocant: cuius vis neque ex verbis, neque ex rebus ducitur: quare nihil vel parum admodum ad rem facit. Sed tamen, si iudicium adhibetur, interdum iuvat ad orationem vel ornandam vel illuminandam. Iudicium autem in hoc erit, ut illa significatio nec ad firmandum, nec nimium, nec sine aliqua saltem rerum convenientia afferatur. Quibus in rebus non solum vulgares sed optimi quique scriptores, temporum fluxu abrepti, multum peccarunt.

Sacrae Scripturae usus.

Sacris Bibliis utimur aut testimonium afferendo aut exprimendo phrases dicendique formas. Alterum non modo pondus et firmitatem rebus, sed dignitatem et reverentiam orationi conciliat: alterum magnam metaphorarum figurarumque copiam dabit, ad varietatem et acumen. Sed cavendum primo, ne ea testimonia sumantur, quae vel rei non congruunt, vel ab auditoribus minus intelliguntur, vel oratoriam non patiuntur explicationem: deinde ne Bibliorum auctoritatem aut sine iudicio, plurima simul continenter farcentes, aut sine necessitate, aut, praesertim apud multitudinem, sine interpretatione usurpemus: quibus vitiis offendit interdum ipse Segnerius. Nec vero probatur semper interpretatione sola uti: nam saepe necesse est ob rei gravitatem ipsa sacrarum litterarum verba afferre: habent enim divina verba non incredibilem modo auctoritatem, sed caelestem quamdam vim, quae, uti experienti patet, nulla lingua exprimi potest. Quare etiam ii non laudantur, qui orationem verbis, phrasibus, integris quoque scripturae locis, vernacule ad verbum redditis, perpetuo exornant: in quo haec praesertim sunt incommoda, ut multa ab auditoribus non cernantur, multa nativam maiestatem amittant, pleraque efferantur barbare. Ceterum si sobrie et opportune sacra verba inducere volumus, id Mabillonii praecepto faciemus. *Cum auctoris lepores et figurae exprimi nequeunt, alias, iis quam maxime potest similes, reddito* [1]).

Sermo *biblicus*.

Patrum doctrina.

Sed ad sacrarum litterarum interpretationem sanctorum Patrum doctrina accedet: quae cum earumdem litterarum intelli-

1) De Stud. Mon. lib. II.

gentiam longe lateque aperiet, tum praeclaros quosque christianae eloquentiae fontes ornatusque suppeditabit. Patres enim et verae Religionis primum post sacras litteras sunt instrumentum, et vasta Fidei morumque cognitione ac egregio ut plurimum dicendi genere praestant. Huius naturae studium certas verasque habet leges: consideranda enim sunt tempora, quibus quis scripserit; errores qui tunc fuerint; doctrinae quae percrebuerint profanae, gentium mores, cultus litterarum, auctoris ingenium, librorum institutum. Nolim tamen oratori nostro tantum oneris imponere, ut omnia Patrum scripta evolvere debeat: satis est si praecipuos quosque familiares sibi faciat: Segnerius quidem et Bourdalouvius Chrysostomum imprimis adamarunt. Quomodo paranda?

Historia. Cum superioribus studiis Ecclesiasticae et profanae historiae eruditio arcto et necessario vinculo coniungitur. Ecclesiastica enim historia est fere sacrarum litterarum per exempla expositio, quae Patrum mente et vita potissimum clarescit: profana vero si parce et cum delectu adhibeatur, multum facit vel ad res confirmandas, vel ad pervicaciores homines convincendos: utraque mirum in modum confert ad illam dicendi formam, quae rem quasi sub oculos ponit sensuumque imagine maxime triumphat. Exempla enim quippe quae ostendunt iam factum quod asserimus, et vel remota, nescio qua ratione, quasi in oculos incurrunt, non parum vel illustrant, vel confirmant, vel movent [1])

Philosophia. Addenda est plenior et philosophiae et civilis eloquentiae disciplina. Philosophia non solum necessaria est ad intimos animorum sinus cognoscendos et explicandos, sed in loco et prudenter adhibita saepe ad rerum naturam patefaciendam, interdum etiam ad hominum pervicaciam frangendam valet quamplurimum [2]). Vix forte reprehendendi viderentur, qui, omissis profanis oratoribus, toti ad Gregorium Basilium et Chrysostomum se reciperent. At vero sive in artis praeceptis sive in optimorum praecipue oratorum exemplaribus innumera prope sunt eaque gravissima, quae a civili ad sacram eloquentiam commode et cum dignitate derivari possunt: imo qui plurimum christiana eloquentia praestiterunt, vel ipsi Graeci, qui primam in hoc gloriam iure sibi vindicant, civilem non modo minime Civilis eloquentia.

1) *Segneri* Pr. VI.—2) V. *Segneri* Pr. XX.

neglexerunt, sed inflammato etiam studio sunt prosecuti. Hinc Augustinus, monens eloquentiae divitias ex profanis auctoribus esse repetendas, ethnicorum instrumenta non solum formidanda non esse sed ab eis etiam tanquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda esse docet [1].

Aliarum rerum cognitio

Quibus rebus si adiiciatur vasta morum doctrina, exquisita virtutum scientia, et magnus rerum usus, tunc denique excellentis eloquentiae speciem et formam in publicum afferemus. Sponte enim affluet illud orationis flumen, illa vis et copia loquendi, sine qua, ut saepe videmus, sua ipsius paupertate rerumque angustiis premitur atque haeret concio, laborat orator, auditores vero, si quid sapiunt, vel mirantur vel offenduntur. Quod si, uti fit, absumpta commentariorum doctrina, ad affectus praepopere decliuet sermo, omnes animi frigeant, necesse est; praesertim cum rebus, quas protulimus, nec imbuti, nec commoti ipsi videmur: siquidem ut odium in vitium concitemus,magno in idem horrore comprehendi; ut in virtutem accendamus amorem, vehementi in eamdem caritate ipsi inardescere debemus.

Oratoris probitas.

Quare quod veteres disputabant de oratoris probitate, id de oratore sacro omnino certum est:neminem oratorem nisi bonum esse posse. Qui enim sui muneris officia praestaret? arguere nimirum, ut ait Chrysostomus, errantes, obsecrare iustos, increpare sceleratos? Quod fieri nequit, cum in eo ipso, in quo alios reprehendimus, nos item reprehendi possumus: si nullus pudor vetat, fructu certe carebimus. *Loquendi*,inquit,Gregorius, *perditur auctoritas, quum vox opere non adiuvatur*. Nec valet simulatio: *Prodit enim se*, ait Fabius, *quamlibet custodiatur, simulatio: nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac haereat, quoties ab animo verba dissentiunt* [2]. Nec vero solum bonus, sed in optimis quibusque et virtutis exercitiis, et pietatis officiis excultus orator divinus esse debet: in his enim Dei hominumque alitur caritas, ex qua una vitam spiritumque ducit sacra eloquentia. Atque hinc etiam assiduae

Precatio.

precationis apparet necessitas: nam et fructus concionum a Deo, a quo enixis precibus est postulandus, pendet, et ipsa precatio est sacrae eloquentiae propria adiutrix. Quapropter Borromaeus:

1) De Doctr. Chr. II. 40—V. Greg. N. Orat. fun. in Basilium.
2) Inst. lib. XII c. I.

Pace multorum dicam id quod sentio: deberent omnes, qui hanc concionandi artem factitant, plurimum impendere precationi: non solum quia pertinet ea ad varias utilitates auditorum, ad fructum ipsius concionatoris, ad Dei gloriam; sed etiam quia videtur idipsum esse inter naturalia instrumenta persuadendi quidquid velimus.

Atque haec, si diligens eorumdem usus erit, videntur mihi certa sacrae eloquentiae auxilia. Quod autem quidam omne studium in rerum novitate solum collocandum putant, nae hi a veritate longe aberrant. Quid si novitatis amor impediat morum animorumque cognitionem? Quid si res novae ad rem nostram non faciant? Quid si, ut nova et incerta consecteris, vetera et certissima ignores? Quid si recentibus morbis vetera remedia sint adhibenda? Ceterum multam profecto novitatem suggeret auditorum, ad quos dicimus, nostrique studium: multam dabit ipsa fuga tot vitiorum, quae vel in egregiis quibusque oratoribus iam sunt reprehensa. Nova praeterea erunt quae ex priscis, vulgo plerumque ignota, scite et apposite ad audientium animos sanandos arte et studio deducentur: nova quae recentibus temporum ac locorum vicibus accommodabimus: nova denique illa omnia, quae ex sacrarum litterarum commentatione, ac veterum Patrum studio, et ex universa theologicarum rerum scientia nostro marte possumus conari atque adornare. Rerum novitas.

CAPUT VI.

DE ACTIONE

Actio seu pronuntiatio, idem enim saepe sunt, est vocis gestusque pro rerum verborumque varietate apta conformatio. Quid actio? Eius tanta est vis, ut illi primas dederit Demosthenes, cum rogaretur quid in dicendo esset primum; illi secundas; illi tertias [1]). Tullius omnia orationis ait perinde esse, ut aguntur: *Actio*, subdit, *in dicendo una dominatur: sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summos saepe superare* [2]). Fabius vero, ut cetera mittam: *Habet res ipsa*, inquit, *miram quamdam in orationibus vim ac potestatem: nec enim refert qualia sint, quae intra nosmeti-* Eius gravitas ex Fabio.

1) V. III. Orat. LVI.— 2) V. Ibi.

psos composuimus, quam quomodo efferantur. Nam ita quisque, ut audit, movetur; quare nec probatio ulla, quae aliquo modo venit ab oratore, tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adiuvetur asseveratione dicentis; et affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant. Nam cum haec omnia fecerimus, felices tamen, si nostrum illum ignem iudex conceperit, nedum eum supini securique moveamus, ac non et ipse nostra oscitatione solvatur. Documento sunt vel scenici actores, qui et optimis poëtarum tantum adiiciunt gratiae, ut nos infinite magis eadem illa audita quam lecta delectent, et vilissimis etiam quibusdam impetrent aures, ut quibus nullus est in bibliotheca locus, sit etiam frequens in theatris [1]. Enimvero si supinus in actione est orator, causam ipsam tradit: unde celebre illud Tullii: *Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres?* [2]) Contra, Gracchus magnopere ferebatur, quod haec mirifice egisset: QUO ME MISER CONFERAM? QUO VERTAM? IN CAPITOLIUM NE? AT FRATRIS SANGUINE REDUNDAT: AN DOMUM? MATREM NE UT MISERAM LAMENTANTEMQUE VIDEAM ET ABIECTAM? *Quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent* [3]). Quare ut in re tanta clariora sint omnia, primum de voce dicemus; tum de gestu; tandem de vocis et gestus in oratione usu.

Exempla.

§ I.

De Voce

Actionis partes duae.

Sunt actionis partes duae: vox, et motus seu gestus; quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus, quo movemur. Haec enim est admirabilis in homine corporis animique consentio, ut quaelibet animi sententia proprium in voce colorem, propriam habeat in gestu imaginem. Quare Tullius: *Omnis*, inquit, *motus animi suum quemdam a natura habet vultum et sonum et gestum; totumque corpus hominis, et eius omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae* [4]). Merito igitur ab ipso Tullio pronuntiatio nunc

1) Inst. lib. XI. c. 3. — 2) Brutus LXXX. — 3) III. Orat. LVI.
4) III. Orat. LVII.

quaedam corporis eloquentia, nunc *sermo corporis* vocatur. Quae tamen eloquentia nequit proferri, nisi adiuvet natura, quae in hoc primas sibi partes omnino vindicat [1]): sed multa, uti accepimus de Demosthene, etiamsi natura fuerit avara, dare potest ars et exercitium. In quo duo imprimis omnino curanda ; ut quae pronuntiare debemus , ea et lectissima sint et quam optime animo atque memoria teneantur.

Naturae auxilium.

Ut autem actionem voce tantum hic definiamus, vox divinum quiddam habet , quod articulatis sonis quamlibet mentis sententiam exprimat, quod mira eosdem sonos flectendi facilitate omnes animi motus coloret, quod certo quodam accentu admirabilem in modum audientis animum detineat, penetret, percellat. In voce qualitas spectatur et quantitas. Qualitas est multiplex: vox enim est candida et fusca, et plena, et exilis, et levis, et aspera, et contracta et fusa, et dura et flexibilis, et clara et obtusa: spiritus quoque longior breviorque. Quantitas autem simplicior: nam vox grandis est, aut exigua: sed inter haec extrema species sunt mediae, quae multos et varios habent gradus. Optime vero faciunt, qui, quod alii confundunt, vim vocis et tonum eiusdem distinguunt : vis est robur illud, quo intensius remissiusve prodit vox: tonus vero est nota vocis, seu altitudinis gradus, qua ipsa vox fertur: item ille multiplex est, sed continetur submisso, alto, et medio.

Vocis Qualitas et Quantitas.

Vocis tonus Triplex.

De submisso nihil attinet dicere: altus neque necessarius; siquidem ut procul audiamur, sufficit vocem intensius proferre, quin a vehementiori communis sermonis more multum discedamus: neque conveniens; nam et audientium aures offendit, et contra decorum est, quod id solum postulat, ut locus, in quo dicimus , suaviter impleatur : tum et suspicioni dat locum, ne clamoribus potius, quam rationibus quaeratur victoria; et syllabas verbaque obtruncat, obscurat, confundit. Contra, medius, utpote magis naturalis et pacatus, oratoris tranquillitatem ostendit, animi libertatem constantiamque vehementius commendat, auditorumque animos suavius subit, suadetque facilius: videtur enim familiariter et amice cum audientibus orator agere. Ad haec, medius tonus agentem minus fatigat, efficitque ut voce plene dominetur, quo illam in loco attollat, temperet, flectat pro rerum natura; nec auditoribus displiceat aut risum de-

Medius adhibendus.

1) V. Quint. lib. XI. c. 3.

beat, si quando, expansis vocis velis, in id incidat quod vehementius est efferendum. Tunc enim et raucas voces faciet, et falso ac deformi sono aberrabit [1]).

Quae curanda ut sufficiat?

Medius igitur tonus in voce tenendus; qui cum intra extrema spatiari debeat, neque ad submissum descendat, neque ascendat ad acutissimum: nam cum urgetur vox, et suffocata saepe, et maiore nisu minus clara est, et affectata, quod est peius. At enim forte non audiemur. Praesto erit aperta pronuntiatio, et calor intentioque vocis; praesertim, si neque in cava, neque in res molliores, neque in loci extrema emittatur vox: vel enim nihil vel non aeque tunc reflecteret. Quare duo conabimur: alterum, ut loci opportunitatem cum privato teste prius experiamur: alterum,ut vocem in mediam ipsam multitudinem dirigamus, fingamusque cum iis, qui longius sunt, loqui: apta enim vox sponte tunc prodit.

Pronuntiatio sit emendata.

Sed quod maxime huc facit, est optima pronuntiatio et accurata: quae emendata, dilucida, apta esse debet. Emendata erit pronuntiatio, id est vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, urbanum seu in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas sit. Quare primum eradenda vitia oris, si qua sunt: ut expressa sint verba, ut suis quaeque litterae sonis enuntientur, ut non permutentur cum similibus: tum ne verba in faucibus audiantur, ne oris inanitate resonent, ne extremae intercidant syllabae: quae, praesertim in exitu periodi, vehementius etiam sunt exprimendae. At saepe verba tota non exiguntur, sed pars devorari pars destitui solet, cum plerique ut priorum sono indulgeant, extremas syllabas non proferunt. Verum ut est necessaria verborum explanatio, ita omnes computare et velut enumerare litteras, molestum est et odiosum [2]).

Dilucida sit. Pausa.

Atque haec ad dilucidam quoque pronuntiationem spectant. Verum illud in hoc valet, quod *pausam* nunc dicunt: ut qui dicit, non solum et incipiat, ubi oportet, et desinat; sed iuxta interpunctionem, quam quisque optime sibi constituerit, in loco vel sustineatur et quasi suspendatur sermo vel deponatur. Fabius exemplum affert: *Arma virumque cano;* ita ut ad *Lavinaque venit Littora* post tres suspensiones incidat distinctio, quia inde alius inchoat sensus: sed protinus altero spiritus initio insequamur. Cum illuc venerimus, *Atque altae moenia Ro-*

1) Vid. Cic. III. Orat. LX. — 2) V. Cic. III. Orat. XI.

mae, deponamus et moremur, et novum rursus exordium faciamus. In distinctionibus autem tempus alias brevius, alias longius dabimus: interest enim sermonem finiat an sensum. Sunt aliquando et sine respiratione quaedam morae etiam in periodis, quae multa habent membra: sensus enim alii atque alii: sed quoniam una circumductio est, paulum quidem morandum in his intervallis, at non interrumpendus contextus. Spiritum interim recipere sine intellectu morae necesse est: ita ut quasi subripiatur: alioqui si inscite recipitur, non minus affert obscuritatis, quam vitiosa distinctio [1]).

Pausae varios usus habent.

Verum pausae seu morae non ad distinctionem solum faciunt, sed ad mentem animumque in gravioribus rebus cogitatione defixum parumper retinendum. Sunt admirationis quoque, ἐκστάσεως, horroris, aliorumque affectuum variae pausae, et saepe cum ἐμφάσει iunguntur: quae, si ubi res postulat et decore fiant, mirum in modum valent: si pueriliter quaerantur et adhibeantur inepte, putidae sunt et ridendae. In versibus duae sunt pausae: una carminis, altera sensus: quae si in fine versus non coincidant, multam difficultatem faciunt, ut carminis μελωδία et sensus distinctio dispari loco sentiantur. In theatro fere nulla ratio habetur carminis: generatim vero aegrius sensus, quam carminis iacturam patimur.

Pronuntiatio apta verbis.

Illud vero maximum, ait Fabius, *quod secundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus conformanda vox est, ne ab oratione discordet* [2]). Apta tunc dicitur pronuntiatio. Quae conformatio varia est pro verborum, sententiarum, et affectuum varietate. In quibusdam enim verbis, diversis accentibus, variata vox varios sensus elicit: ἔμφασιν vocant. Blairius duo affert exempla: *Redibis tu hodie in urbem? Tu tradis osculo Filium hominis?* In primo, prout ἔμφασις unum aut alterum verbum afficit, quatuor efficit intellectus: in altero quater simul ἔμφασις varie adhibita, plurima significat, quae multis verbis essent exprimenda. Ex quo patet ἐμφάσεις mirabiles usus habere, si opportune vehementes sint aut molles aut mediocres pro rerum natura: item neque adfectatae; stomachantur enim homines: neque nimiae; obscurant enim sensus non distinguunt: quod est earum officium tam perpetuum, ut, qui illis non utitur, nec bene legere nec recte pronuntiare pos-

1) V. Quint. lib. XI. 3. — 2) Lib. XI. c. 3.

sit. Ut autem ἐμφάσει recte utamur, tum rerum cum verborum vim antea optime teneamus: tunc et quando res postulat adhibebitur, et cum iudicio semper fiet.

De verbis iterum Fabius.

Fabius aliud de verbis tradit: *Verbis quoque accommodanda pronuntiatio non semper, sed aliquando. An non haec* MISELLUS *et* PAUPERCULUS, *submissa atque contracta;* FORTIS *et* VEHEMENS *et* LATRO,*erecta et concitata voce dicenda sunt? Accedit enim vis et proprietas rebus tali adstipulatione : quae nisi adsit, aliud vox, aliud animus ostendet. Quid? quod eadem verba mutata pronuntiatione indicant, adfirmant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irrident, elevant? Aliter enim dicitur:* Tu mihi quodcumque hoc regni... [1] *et* Cantando tu illum?... [2] *et* Tune ille Aenas?... [3] *et* Meque timoris Argue tu Drance... [4] *Et ne morer, intra se quisque vel hoc vel aliud quod volet, per omnes affectus verset, verum esse quod dicimus sciet* [5].

Apta sententiis pronuntiatio.

In sententiis apta erit vocis conformatio, si neque dicamus clamose, quod insanum est, neque intra loquendi modum, quod motu caret, neque submisso murmure, quo debilitatur omnis intentio. In iisdem autem partibus, iisdemque affectibus sint tamen quaedam non ita magnae vocis declinationes, prout aut verborum aut sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulabit: ut qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent. Haec fere Fabius, qui rem miloniano exordio declarat [6].

In affectibus duo tenenda.

Ferme nihil in affectibus valet ars: duo tamen diligentissime praestabimus: ut consideremus tonorum varietatem, quam pro variis motibus ipsa natura nobis suggerit, idque accurate exprimamus: ut spectemus etiam alios, non scenicos quidem, sed eos, qui aliquo motu affecti, illum naturali modo, sed vi et cum ipsius naturae dignitate produnt. Quintilianus tamen multa praecipit in hanc rem: [7] nec mirum, cum ipse Tullius in determinanda voce singulis motibus apta multum immoratur [8]. Quae omnia ad eruditionem valent, ad usum fortasse non valent.

1) I. Aen. 82. — 2) 3. Ecl. 25. — 3) I. Aen. 621. 4) XI. Aen. 383. 5) Quintil. XI. cap. 3. — 6) Id. ib. — 7) Id, ib.— 8) III. Orat. LVII.

§ II.

De Gestu

Gestus est totius corporis motus et conformatio, quae et voci consentiat, et animo simul cum ea pareat. Is quantum valeat, pluribus explicat Fabius: nos ad alia festinamus. In gestu duo spectantur: totus corporis status, et singula eiusdem membra. Actionis ingressus modestiam exigit [1]), praesertim in oratore sacro, qui modesta quadam maiestate incipit, quo pateat a Deo ad dicendum mitti: quare etiam crucis signum primo facit, et tacite orat tantisper. Universe vero corporis status erit rectus, promptus, et dignitate plenus, quo orator et existimationem sibi conciliet et fidem: aequis autem deductisque pedibus ad perpendiculum sustentetur: tunc enim pleno quodam nostri dominio ad dignitatem et decorum sponte componimur, et, ubi opus erit, toto trunco et virili quadam laterum inflexione movemur: nam neque in statuae morem obrigescere debemus, nec crebris et incompositis corporis motibus agitari. Quid Gestus? Corporis status.

Humeri sint remissi, ait Fabius, *vultus severus, non moestus, nec stupens, nec languidus: brachia a latere modice remota: manus sinistra, qualem supra demonstravi; dextra, cum iam incipiendum erit, paulum prolata ultra sinum, gestu quam modestissimo, vel exspectans quando incipiendum sit. Vitiosa enim sunt illa, intueri lacunaria, perfricare barbam, et quasi improbam facere: tendere confidentia vultum, aut, quo sit magis torvus, superciliis adstringere: capillos a fronte contra naturam retroagere, ut sit horror ille terribilis: tum id quod Graeci frequentissime faciunt, crebro digitorum labiorumque motu commentari, clare excreare, pedem alterum longe proferre: partem togae sinistra tenere, stare diductum vel rigidum, vel supinum, vel incurvum, vel humeris, ut luctaturi solent, ad occipitium ductis* [2]). Humeri, Vultus, alia.

Caput significat pluribus modis: annuendi, renuendi, confirmandi, verendi, dubitandi, admirandi, indignandi; sed solum nunquam gestum facit. Sit autem rectum et secundum naturam, accipiatque aptos ab ipsa actione motus, ut cum gestu concor- Caput, Cursitare.

1) V. Ovid. Metam. XIII. v. 125...—2) Lib. XI. cap. 3.

det, et manibus ac lateribus obsequatur, nisi cum aliquid aut damnare aut non coucedere, aut a nobis removere oportebit. Vitiosum est huc illuc cursitare; sed expedit ad dexteram sinistramque suggestus identidem accedere, modo auditores semper spectemus, neque eis latera aut quasi terga vertamus: amoris autem obsequii studiique est, se ad auditores interdum inclinare paululum.

Qui significant vultus, oculi?

Dominatur vero maxime vultus, in eoque plurimum valent oculi. Nam in actione secundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Vultu supplices, tristes, hilares, erecti; submissi sumus, affectus promimus, auditores detinemus. Oculi vero, per quos maxime animus emanat, etiam citra motum significant, et hilaritate nitescunt, tristitia nubilum quoddam inducunt: motu autem intenti, remissi, graves, mites, asperi, varii et diversi omnino, prout actus poscit, finguntur. Quot enim sunt animi motus, tot significationes et commutationes possunt efficere: in caelum sublati orantem aliquid a Deo; aversi abhorrentem, fastidientem, negantem; clausi meditantem et cogitantem animum; demissi modestiam, pudorem, tristitiam significant. Iam in vultu, oculisque movendis hoc maxime praecipitur, ut dignitatem semper conservent, nec in singulos, sed aeque in omnes auditores intendantur.

Aliae corporis partes.

De fronte, de superciliis, de naribus, de labris, de cervice, de humeris, cum extra communem situm saepius vitii aliquid prae se ferant, et fere nullius sint virtutis, id solum praecipi potest, ut nihil habeant, quod dedeceat. Brachia nec deorsum pendeant, nec proiiciantur immodice. Brachium extensum potentiam, auctoritatem, robur significat, vel audientiam nobis facit indicitque silentium. Brachia cohibita pudoris et verecundiae sunt signa: prolata et spatiantia vastitatem et copiam indicant.

Manus ex Fabio.

Manus vero, inquit Fabius, *sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest quot motus habeant, cum pene ipsam verborum copiam persequantur. Nam ceterae partes loquentem adiuvant; hae, prope est ut dicam, ipsae loquuntur. An non his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus*

ostendimus? Non eaedem concitant? supplicant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur? Non in demostrandis locis atque personis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? ut in tanta per omnes gentes nationesque linguae diversitate hic mihi omnium hominum communis sermo videatur [1]). Sed ut aliquid propius dicamus; si de sententiis aliisque mentis operibus loquimur, manus admovetur fronti; si de affectibus, cordi; si de nobis rebusque nostris est sermo, pectori convertitur; si de auditoribus, ad ipsos extenditur; si de Deo, rebusque divinis, in caelum, in altare, vel in Crucis imaginem reverenter explicatur: contra, si de mundo eiusque vitiis est oratio, in partem altari oppositam fertur, idque optime sinistra. Manus tollere admirantium, vel Deo gratulantium est: demittere dolentium vel desperantium: iunctas levare supplicantium: pronas habere et gravi decentique motu depressas est confirmantium [2]). Qui significat manus?

In principio manus non solet extendi: cum vero effervescere cepit oratio, tunc manus cum illa exeritur, cum illa deponitur, nec praeit vocem, nec ferit suggestum: multo minus aliud a voce demonstrat, ut Rhetor ille qui caelum appellans, tellurem intuebatur,gestuque monstrabat.Sinistra raro sola gestum facit, sed frequenter se accommodat dexterae, quae optime a sinistro incipit latere, et dextero deponitur. Generatim autem manuum motus sint liberi, faciles, nobiles, venusti: quare inepti sunt motus, si manus lateribus haereant, si nimium extendantur vel parum; si non obliquius sed ad perpendiculum, quod est turpius, moveantur, si lentae aut festinae sint; si in vehementioribus motibus altera quiescat. Vitium est pectus aut femur ferire (nam nec pedem supplodere nunc licet);barbam demulcere; digitorum gestu iocari; manus supra caput attollere vel infra pectus dimittere, nisi interdum gravioribus urgemur affectibus. In movenda manu leges.

§ III.

De vocis et gestus in oratione usu

Duo potissimum in oratione recitanda curabimus: ut vox singulis orationis partibus sit accommodata, et in communia quae- Vox singulis orationis par-

1) Lib. XI. cap. 3.—2) V. Caussin. Lib. IX. cap. 9.

tibus conveniens. dam vitia non incidat. Etsi pronuntiatio pro causarum natura in qualibet oratione varia sit; prooemio tamen lenis et submissa fere convenit: vox enim temperata et gestus modestus oratoris ostendit verecundiam, qua nihil est ad conciliandum gratius. Nihilominus interdum pro rei locique natura vehementius etiam fertur exordium. Ab exordio paullatim assurgit pronuntiatio: narrando enim utimur voce aperta, licet familiari sermoni proxima, et frequentissime simplici, nisi aliud postulat affectus vel concitatus vel flebilis. Multiplex et varia est probationum pronuntiatio: partiri enim, proponere, interrogare, sumere contradictionem, quae etiam irridendo aliquando vel imitando pronuntiatur, simpliciorem poscunt vocem. Argumentatio plerumque agilior est, et acrior, et instantior pro rerum natura: qua in re curanda est semper varietas, quae et gratiam praebet, et renovat aures, et dicentem ipsa laboris mutatione reficit. Egressiones, si sunt rerum, fere lenes et dulces et remissae sunt: si sunt affectuum, efferenda vox est pro varietate motuum: nam accendendi affectus plures sunt gradus. In peroratione tandem epilogus concisorum continuatione gaudet; motio affectuum vocem postulat excitatiorem, eamdemque singulis, qui sedandi vel ciendi sunt, motibus aptam variamque [1].

In tota oratione servandum. In tota vero oratione neque volubilitate nimia confundenda quae dicimus; ita enim distinctio perit et affectus: neque tenuandus sermo nimia tarditate, quae et difficultatem inveniendi ostendit, et segnitia solvit animos: *Proruptum*, inquit Fabius, *sit os, non praeceps: moderatum non lentum: spiritus quoque nec crebro receptus concidat sententiam, nec eo usque trahatur, donec deficiat.*

Vitanda Μονοτονία. Quae de voce tradidimus, si omnia ad dicendum orator non poterit afferre, id saltem conabitur, ut minus inepte pronuntiet. Quare vitabit primo μονοτονίαν, quae et dicentem exanimat et auditores enecat. *Nam ad vocem obtinendam nihil est utilius, quam crebra mutatio; nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. Quid? ad aures nostras et actionis suavitatem, quid est vicissitudine, et varietate, et commutatione aptius* [2]?

Vitandus Cantus. Vitabimus etiam cantum, seu illam uno ferme tenore subsultantem naeniam, qua varietas omnis perit: tum clamosam lo-

1) V. Cic. pro Mil. — *Segneri* Pred. III. — 2) Cic. III. Orat. LX.

quendi rationem, qua qui utuntur optimi oratores a plebecula habentur, Tullio latratores videbantur. Quod vitium perstringit Ioan. Lucas:

..... Loquere; hoc vitium commune, loquatur
Ut nemo, at tensa declamitet omnia voce:
Tu loquere, ut mos est hominum: boat et latrat ille,
Ille ululat, rudit hic (fari si talia dignum est);
Non hominem vox ulla sonat ratione loquentem [1]).

Quae vitia hoc habent remedium: ut pueri humilia primum et familiaria aequabiliter et rotunde pronuntiare assuescant: ut eorum, quae pronuntiant, sententiam optime teneant: ut exerceantur in illis orationibus, quae ob varios sensus variosque motus, varias inflexiones vocis postulant, et videant quo res quaeque modo sit efferenda.

Qui temperandus gestus?

Ad gestum quod spectat, universe dexteritatem quamdam, gratiam, facilitatemque gestuum acquirere studebimus, idque ipsam naturam consulentes: in quo tamen tum nostri tum auditorum adiuncta spectabimus, ut videamus quid deceat. In nobis aetas, indoles, sensus, auctoritas; mores gentium, cultus, dignitas, ingenium in auditoribus considerantur. Itaque iuxta huiusmodi adiuncta variandus ac temperandus est gestus. In quo haec potissima erit lex, ut nec affectum, quem intus non sentimus, nec ardorem, quem res non postulat, gestu fingamus. Contra, etiam cum affectus est naturalis, calorque a materia ipsa excitatur, curemus, ut intra limites varii apti et decori gestus maneamus: si enim nos ipsos moderari nescimus, multo minus regemus auditores. Quod si quis in popularibus concionibus ad gestum aliquid exterioris adiumenti velit adiungere, in veteribus probatissima habet exempla: sed videat quid expediat, quid deceat ex re, et ex auditoribus. Illud certe probatur maxime, Iesu Cruci affixi imaginem manu capere, et ostendere populo, numerare plagas, elicere affectus.

Gestus, qui imitatione significat, reprehenditur.

Sed de gestu illud est oratori maxime tenendum, quod gravissime monet Fabius: *Et ii quidem, de quibus sum locutus, cum ipsis vocibus naturaliter exeunt gestus. Alii sunt, qui res imitatione significant; ut si aegrum tentantis venas medici*

1) De gestu et voce orat.

similitudine, aut citharoedum formatis ad modum percutientis nervos manibus ostendas: quod genus quam longissime in actione est fugiendum. Abesse enim plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis, quam ad verba accommodatus: quod etiam histrionibus paulo gravioribus facere moris fuit. Multa quidem licent in carmine; sed *Aliud oratio sapit, nec vult nimium esse condita. Actione enim constat, non imitatione. Quare non immerito reprehenditur pronuntiatio vultuosa, et gesticulationibus molesta, et vocis mutationibus resultans* [1]. Eadem repetit alias, appellatque Tullium, qui *Omnes autem hos motus*, inquit, *subsequi debet gestus, non hic verba exprimens scenicus, sed universam rem et sententiam non demonstratione sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti et virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens: brachium procerius proiectum, quasi quoddam telum orationis* [2].

Fabii conclusio.

Atque ut cum Fabio finem faciam, *Haec sunt vel illustramenta pronuntiationis, vel vitia: quibus propositis, multa cogitare debet orator. Primum quid, apud quos, quibus praesentibus sit acturus. Nam ut dicere alia aliis, et apud alios magis convenit; sic etiam facere. Neque eadem in voce, gestu, incessu, apud Principem, Senatum, populum, magistratum, privato, publico iudicio, postulatione, actione similiter decent. Quam differentiam subiicere sibi quisque, qui animum intenderit, potest: tum qua de re dicat, et efficere quid velit* [3]. Haec

Fugienda affectatio.

Fabius: nos vero quaecumque de voce et gestu diximus, etsi pauca, sic procurari volumus,ut nihil omnino sit affectationis, nihil ab aliis imitatione effictum, nihil extra propriam cuiusque naturam petitum. Quidquid enim naturale est, quamvis defectibus aspersum, semper aliqua ratione placet: siquidem dicentem eiusque animum ingenue ostendit; contra,quod est affectatum, vel nimio studio quaesitum, utpote quod artificium et fictionem statim prodit, mirum in modum displicet.

1) Lib. XI. cap. 3. — 2) Cic. III. Orat. LIX.—3) Lib. XI. cap. 3.

PARTITIO QUARTA

De Rebus Historicis

Omnia, quae ad memoriam potissimum referuntur, et narrando scribi solent, historicarum rerum nomine comprehendimus. Quo in genere sunt primum omnes fabulae; tum quia narratione continentur, tum quia saepe historiae aliquid vel imitantur vel complectuntur. Fabularum enim voce, praesertim cum rei adduntur apposita, plurima significantur, quae, sin verae, certe verisimilis historiae naturam habent. Sequitur historia proprie dicta, quae in hac partitione principem locum sibi vindicat; sed a nobis, rerum originem secutis, post fabulas collocatur: nam et principia cuiusque historiae, si sacram excipias, fabulosa sunt, et fabula ipsa prius, quam vera historia, est inventa vel perfecta, quippe quae plurimum ad poësim attinet. Ad historiam autem multa alia scripta revocantur, quae cum eadem coniungemus. Verum de Inscriptionibus etiam, quae vel historia sunt, vel certe ad historiam quam proxime accedunt, separatim hic dicemus: quantum enim institutum nostrum patitur, copiosius aliquid de hoc scribendi genere tradere debemus; ut mature caveamus ab iis erroribus, qui haec tam insignia rei litterariae monumenta, quae tandem summo iu honore esse videmus, iamdiu inficere consueverunt. Itaque huius partitionis tria denique erunt capita: quorum primum de Fabulis universim; alterum de Historia, tertium de Inscriptionibus nuncupabitur.

Historicae res.

Fabulae.

Historia.

Inscriptiones.

CAPUT I.

DE FABULIS

Fabula, graece μῦθος, generatim est rei fictae narratio, quae ex apposita similitudine ad animos recreandos moresque instituendos valeat. Fabula enim ob sensilem rerum imaginem mirum in modum auditorum animos delectat, et attentionem concilians facit etiam imprimis ad movendum, et quod praecipuum semper in arte est, ad corruptos mores emendandos. Dividi vero

Quid Fabula?

Fabularum divisio.

potest in fabulam proprie dictam[1]), fabulosam narrationem[2]), et fabulam romanensem[3]). Fabulosa enim narratio fabulae proprie dictae, cuius speciem quamdam amplificando imitatur, ob fictionem non videtur absimilis: fabula autem romanensis fere tantum magnitudine ac proinde actuum varietate et complexiori nodo a fabulosa narratione distinguitur. Sed meo iudicio fabula proprie dicta reliquis antecellit. Nam haec non solum praestitutum finem ab ipsa ferme origine consecuta est; sed et perfectos habet auctores, et cum ipsa per se praeclare pollet, tum multa dicendi genera vi et gratia et perspicuitate donat. Ceterae autem fabulae raro admodum finem assequuntur, multis vitiis adhuc scatent, atque ex propria natura et origine non videntur omnium bono comparatae.

Fabulae propriae Praestantia.

§ 1.

De Fabula proprie dicta

Fabulae natura et finis.

Fabula proprie dicta est: confictae rei narratio veritatem effingens: exemplo enim quodam aut similitudine verum ac rectum homines docet. Quare Phaedrus:

Exemplis continetur Aesopi genus
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium[4]).

Enimvero quam bene Aesopus voluptarios monet! E''ν τινι ταμείῳ μέλιτος ἐκχυθέντος, Μυῖαι προςπτᾶσαι κατήσθιον. E'μπαγέντον δὲ τῶν ποδῶν αὐτῶν, ἀναπτῆναι οὐκ εἶχον. A'ποπνιγόμεναι δ' ἔλεγον. ἄθλιαι ἡμεῖς, ὅτι διὰ βραχεῖαν βρῶσιν ἀπολλύμεθα — E'πιμύθιον — O'μῦθος δηλοῖ, ὅτι πολλοῖς ἡ λιχνεία πολλῶν κακῶν αἰτία γίνεται.

Triplex vero fabula distinguitur: fabula rationalis seu parabola; fabula moralis seu apologus; et fabula mixta. Fabula rationalis est illa, qua ad mores instruendos fingimus ab homine dictum vel factum quidpiam, quod reipsa nec dictum nec fa-

Fabula rationalis.

1) Favola.—2) Novella.—3) Romanzo.—4) Lib. II. Prol.

ctum fuit, sed tamen dici vel fieri potuit. Huius generis sunt admirabiles illae parabolae, quibus Iesus Dominus Apostolos, discipulos et populum undique circumfluentem ad omnem pietatem ac virtutem comparabat: idque faciebat tum ut se rudi plebis captui accommodaret, tum ut Palaestinorum indulgeret consuetudini, quae plurima hac in re viguit. Qui divinas Iesu parabolas non solum cum sempiternae vitae fructu, sed purissimi etiam stili delectatione legere velit, magni faciat libellum optimi S. I. scriptoris, qui easdem italica aureae aetatis lingua, nimis forte studiose sed multa cum laude, adornavit. Ego brevius exemplum subiiciam a). Duodecim circiter minora exempla habes etiam in pulcherrimo Phaedri libello.

a) Ebbevi già un uomo ricco, il quale essendo voglioso d'aggrandire suo stato si mise a voler comperare una bella possessione, la qual vicina era de' suoi poderi; e andandovi a visitarla, così come per diporto,e piacendogli,seco medesimo divisava del quanto il signor ne vorrebbe:Or mentre così d'un solco nell'altro, ed'uno andamento in un altro passava,gli venne veduto certo luccicore per terra dietro una piccola macchiuzza, ch'era a lato d'un fossato. Laonde cominciovvi a frugare col bastoncello, che aveva tra mano, e levonne una bella moneta d'oro, e ricoltala trovò, che ben grossa era, e parea che pur allora del conio ci venisse. Di che in sè medesimo forte maravigliato proseguì oltra pur frugando col bastone, e poco sotterra vide altre monete pur d'oro. Laonde quel che potesse essere indodovinando, guatatosi diligentemente d'attorno e non vedutoci persona, si chinò in terra, e colle mani cavando, s'avvenne in un vaso di creta, che di cotali monete bellissime pieno era. Quivi la passione cominciò a stimolarlo, che le dovesse ricogliere e portarnele. Ma come uomo leale e diritto incontanente le ripose, e sopra tornovvi la terra come era, ed altre erbe vi soprapose a maggior guardia. Poi tornatosi a casa senza far motto a persona del ritrovato tesoro, tutto pieno di gioia, che in sè medesimo non capeva, ragunò quanti danari quivi di presente potette, e appresso l'altre sue possessioni e case e quanto si avea vendette con tanta sollecitudine, che ogni uomo ne maravigliava. E poichè gli parve d'aver tanto ragunato, che alla compra della possessione bastar dovesse, fu al signor di quella e domandogliela. Il signore rispose che, se non se a grandissimo pregio, nulla venderebbe. Disse l'altro: e io sono apparecchiato di venire a qual pregio vogliate voi, se pur tutto mio avere ne voleste. Il signore impromettendosene guadagno sempre maggiore, a tanto il trasse che quell'uomo dare gli convenne tutti li danari, che dalla vendizione de' proprii beni ragunati s'avea. Fu per alcuni del-

Fabula moralis.

Moralis fabula est illa, quae belluarum mores et indolem solet exprimere, ut mores hominum corrigat atque meliores faciat. Non solum autem feras, sed arbores quoque et plantas, malleos, incudes, aliasque huiusmodi res loquentes inducimus. Fabula haec ab Aesopo, cui valde fuit in deliciis, dicta est aesopica: quamquam ante Aesopi tempora ab Homero et Hesiodo fuerit usurpata: quum enim sit quaedam allegoria, ex quo dicitur apologus, facile fuit ut veluti orationis ornamentum adhiberetur [1]). Apologum inter et parabolam hoc interest, quod apologus sit earum rerum, quae fieri omnino nequeunt a) para-

Apologi et Parabolae discrimen.

la terra, spezialmente da' più accorti, rampognato come folle, e che la possessione non valeva pur la metà, e che non si doveva egli consigliare col solo amore di averla. Ma egli che ben più avanti sapeva di loro, se ne rise. E così finalmente della desiderata possessione divenuto signore, siccome colui che 'l poteva, secondo che l'usanze e le leggi delle contrade sue statuivano, non fu notte ferma che venne a quella, e tutto solo la cara urna delle monete d'oro ne trasse, e recollasi in sua magione, e cominciolle a contare colla maggior festa del mondo. E quando credette essere al fondo dell'urna, trovovvi in luogo delle monete ricchissimi diamanti da non poterlo contare, e perle d'imprezzabil valore, e altre ricche gemme; di che divenne il più dovizioso uomo di quelli paesi, e a troppo piccol pregio gli parve avere la possessione comprata. Per lo trovatore del magno tesoro non vi par egli di vedere Gesù Cristo figliuolo dell'uomo? E per lo medesimo l'anime nostre, e di cadauno, e di voi in particolare, le quali anime nel campo di questo mondo erano seppellite, cioè dimentiche, perdute, inutili al superno Signore? E non andò egli Gesù Cristo, e vendette ogni suo avere...? E ancora puoi intendere, che 'l campo del tesoro sia il paradiso benedetto, il cui valore a pochi è conosciuto, e da pochissimi è amato e cerco: cosa degnissima di lagrime. Or non sarebbe stato folle e disfiorato di senno il compratore...? *G. B. G.* Parab. VI.

1) V. Andres, vol. II c. 6 § 272 e segg.

a) Volendo la volpe villanamente schernire la cicogna, invitolla a cena; ed essa puramente di buona fede, credendo che procedesse di buona amistà, accettò. E andando a casa della volpe trovò apparecchiato da cena sopra una larga pietra con liquida e corrente vivanda, della quale non poteva, per cagione dell'aguzzato becco, assaggiare in verun modo; ma la malvagia volpe tutto ciò con la sua larga lingua leccava e mangiava. Essendo la cicogna così schernita, malamente e quasi digiuna tornò a casa sua, costretta da tanta malizia, che pensò render pane per focaccia. E subito ebbesi fatto fare

bola vero earum, quae etsi reipsa non sunt, esse tamen certe potuerunt.

Fabula denique mixta, ut ipsum nomen ostendit, est ea, quae ex rationalis et moralis admixtione componitur, seu in qua homines cum brutis sermocinari finguntur; ut: Ο'ρνιθοθήρας ὄρνεσιν ἵστη παγίδας. Κορυδαλὸς δὲ τοῦτον πόῤῥωθεν ἰδών, ἐπυνθανέτο τί ποτ' ἐργάζοιτο. Τοῦ δὲ πόλιν κτίζειν φαμένου, εἶτα δὲ ποῤῥωτέρω ἀποχωρήσαντος, καὶ κρυβέντος, ὁ Κορυδαλὸς τοῖς τοῦ ἀνδρὸς λόγοις πιστεύσας, προσελθὼν εἰς τὸν βρόχον ἑάλω. Τοῦ δὲ Ο'ρνιθοθήρα ἐπιδραμόντος, ἐκεῖνος εἶπεν. Ω῟ οὗτος, εἰ τοιαύτην, πόλιν κτίζεις, οὐ πολλοὺς εὑρήσεις τοὺς ἐνοικοῦντας-Επιμύθιον- Ο' μῦθος δηλοῖ, ὅτι τότε μάλιστα οἶκοι καὶ πόλεις ἐρημοῦνται, ὅταν οἱ προεστῶτες χαλεπαίνωσι (1). Fabula mixta.

Prima vero fabularum virtus est, ut ad mores informandos maxime sint aptae: quare moralis sententia vel ex ipsa rei expositione perspicue debet elucere, vel, ut plerumque fit, explicite ostendi. Quam interpretationem, quae anima fabulae dicitur, si in fine ponatur, ἐπιμύθιον, si initio, προμύθιον Graeci vocant. Ceterae dotes fabulae, sunt, ut narratio sit perspicua iucunda et probabilis. Sed in apologo probabilitas et verisimilitdo ubabetur, si sua cuilibet animanti servetur indoles et ingenium, omnesque belluae germanis propriisque coloribus depingantur: ut, puta, vulpes versipellis et subdola, lupus rapax et truculentus, agnus mitis describatur et simplex. Stilus demum fabulae erit planus, proprius, nitidus, iocosus; nec vero respuet modestiora quaedam sermonis et figura- Fabularum dotes.

una guastada con largo corpo e lungo e stretto collo, ed empiella d'un odorifero morsellato. E ciò apparecchiato, la cicogna invitò la volpe a desinare; e pregava che mangiasse e prendesse di sì dilicato cibo. E la volpe andava intorno alla guastada, e di ciò avea gran volontà, ma non v'era modo che potesse averne; e la bellezza del vasello e 'l suo grande odore *gli* raddoppiava la fame: e la cicogna col suo lungo collo e becco mangiò tutto il morsellato. In tal maniera la volpe tornò al suo albergo digiuna e schernita; e la cicogna rimaso allegra e vendicata — Ammaestra l'autore in questa favola che niuno debba fare quello altrui, che non volesse ricevere. *Volgariz. di* Esopo — Testo antico — *V. Phaedri*, lib. I. f. 26.

1) Aesopus.

rum ornamenta, quae cum maxima simplicitate possint consistere.

Fabularum auctores.

Fabularum auctores habent Graeci Aesopum, Aphthonium et Babrium: Latini Phaedrum et Avienum: Itali, praeter optimas Aesopi et Phaedri interpretationes, proprios etiam auctores ostendere possunt: quorum praecipui videntur Firenzuola, Pignotti, Bertola, De-Rossi, Roberti, et Gozzi. In qualibet autem lingua singuli fere scriptores praeclaras interdum fabulas, ut orationis vel carminis ornamenta, suis operibus inserunt. Nam cum oratorum et poëtarum praecipuum officium sit movere, plurimum uti debent fabulis, vel figuris fabulae similibus. In hoc enim a philosophis discedunt oratores et poëtae, quod res, virtutes, et vitia, a sensibus omnino remota, sensilibus imaginibus vestiant, et sub oculis veluti ponant, ut animos percellant. Nec vero alia fuit fabularum et ipsius mythologiae origo.

§ II.

De Fabulosa Narratione

Quid narratio Fabulosa?

Narratio fabulosa est expositio rei, quae licet potuerit esse, tamen vel nunquam fuit, vel certe non fuit iis adiunctis, quae auctor ad ipsum opus perficiendum, et eiusdem ornandi gratia comminiscitur. Nam saepe ipse fabulosae narrationis fundus est factum, quod reipsa contigit, uti de plerisque Boccaccii scriptis nonnulli contendunt; sed factum illud quibusdam adiunctis augetur, ut suscipiat aliqua ex iis, quae in poësi fabulae ornamenta dicuntur. Opus est enim stilo et artificio quodam, ut auctor suavi animorum delectatione finem huiusmodi narrationibus constitutum obtineat.

Eius finis.

Finis autem idem est illi, quem in re dramatica poëta sibi proponit: delectando scilicet hominum mores corrigere atque instituere. Quem finem contingct scriptor, si narratio et omnia eius adiuncta ac ornamenta ad odium in aliquod vitium, vel ad amorem alicuius virtutis excitandum ipsa rerum expositione conspirent.

Quae argumenta eligenda?

Ea igitur invenienda sunt argumenta, quae ad propositum finem ipsa narratione conducunt. Qua in re maxime peccavit Boccaccius, qui, quem in finem suas narrationes scribere deberet, facile in-

tellexit; a) sed ut erat pessimis moribus homo eas rationes inivit, quibus finem prorsus contrarium assequeretur: non enim nobiliorem, sed deteriorem totius humani generis imaginem elegit, eamque iis coloribus depinxit, quibus homines ad turpissima quaeque vitia maxime allicerentur. Quapropter non vulgaris eloquentiae conditorem, sed morum corruptorem iure diceres, praesertim cum in conclusione studeat argumentis ad impudentiam captiosis et turpibus lutulentum opus defendere.

Fabulosae narrationis constitutio est ipsa rei gestae vel quasi gestae apta expositio, quae a tempore, ab urbe, a loco, in quo quidpiam accidit vel accidisse fingitur, plerumque exorditur, et vel a scriptore vel ab inductis personis absolvitur. Initii autem loco potest praeponi aliqua vel descriptio, vel brevis historia, vel sententia, quae cum tota narratione cohaereant. Tum id quod contigisse fertur historicorum ferme modo enarratur; ita ut etiam adiuncta et ornamenta ex ipsa rei natura videantur profecta, atque auditores nativis rerum coloribus capti nullam fictionem animadvertant: quare locorum etiam temporum et personarum mores imprimis sunt tenendi, appositeque explicandi. Saepe vero plurimae fabulae, quae solae consistere possunt, apto rerum nexu, communisque finis ratione ita colligantur, ut unum opus absolvatur: quo in genere eminet potissimum Boccaccius. Fabulosae narrationis constitutio.

At fabulosa narratio primum omnium debet esse morata; nimirum ea narrare propriisque artibus depingere, quae vere virtutis amorem, ac vitii odium ingenerent: tum vera aut verisimilis: verisimilitudo autem non solum ex eo quod res potuit ita esse; verum ex ingenua dicendi ratione et occultiori narrantis arte maxime elucebit. Ad ornamenta quod attinet, faciunt huc praecipue breves descriptiones, ethopoeiae, et mirae quaedam rerum et adfectuum conflictiones, in quibus omnem artis pulchritudinem quidam constituunt: placent etiam inter- Eiusdem dotes.

a) Nelle quali novelle piacevoli ed aspri casi d'amore ed altri fortunati avvenimenti si vedranno, così ne' moderni tempi avvenuti, come negli antichi: delle quali le già dette donne che queste leggeranno, parimente diletto delle sollazzevoli cose in quelle mostrate, ed utile consiglio potranno pigliare, in quanto potranno conoscere quello che sia da fuggire, e che sia finalmente da seguitare. Le quali cose senza passamento di noia non credo che possano intervenire. *Boc.* Decam. Proemio.

Dicendi ratio.

dum minores aliquae peripetiae et recognitiones. Dicendi tandem ratio omnes stili pulchritudines admittit: quare Boccaccius italicae eloquentiae pater inde dictus est. Quam quidem laudem imprudenti vel certe inverecunda hyperbole prolatam a), nunc saepe legimus vel audimus: immo Antonium Cesari, virum ceteroqui doctum et satis eloquentem, non puduit

a) Certamente al Boccaccio non competeva questo diritto per aver dilatato i confini della favella. Non per ragione delle parole isolatamente considerate; perchè si può sfidare qualunque lessiografo a rinvenire nelle *Cento Novelle* un vocabolo veramente bello, onesto, necessario, che non si trovi nelle scritture anteriori: nè del resto si vorrà fargli merito della farraggine di turpitudini tolte alle taverne, a' trivii, ed a' lupanari; la quale per certo sarebbe esuberante anche all'espressione dell'araba scostumatezza. Non per le frasi: perchè delle buone egli non è l'autore, e delle altre da lui composte,*perfarsi singularissimo dagli scrittori del suo secolo* (*Salviati*) non si può stare al sicuro; checchè ne dicano i grammatici, *de' quali fu propriissimo il fondar regole e trovar vezzi ne' suoi strafalcioni (Taverna).* Non pel costrutto; perchè *gl'iperbati e gli altri stravolgimenti della natural tela del favellare sono in quell'opera contro la forma dello scrivere, che s'usava da' buoni in quel tempo* (*Salviati*); dunque contro la natura e l'uso del nostro idioma: onde venne di conseguenza la perpetua distinzione del parlar boccaccevole dall'Italiano. Non per lo stile; perchè dove pretende magnificarlo coll'arte, presenta *una maniera di scrivere affettato nobile* (*Tassoni*) che si perde nella gonfia ed inane loquacità de' retori e de' sofisti; e dove seconda natura, che nello stile suol rendere immagine dello scrittore, lascia bruttamente apparirvi quell'animo, *che solo di lascivie e di fole e di donnesco vivere si compiacque* (*Pertic.* Ap. e. 41.), senza che a falsare affatto lo stilo basterebbe soltanto avere, come lui, *sforzata la natura del linguaggio (Pert.* Scr. Trec.) nella disposizione delle parole. Non per la materia; perchè la lingua comune fu, principalmente per opera sua *dall'ampio giro,* che prima occupava, *in molto minore spazio ristretta (Gravina*) e prevalse l'opinione che abbandonar si dovesse alle ciance delle femminette e de' giovinastri, cercando altrove il linguaggio della sapienza e della grandezza. Quanto all'eloquenza che alcuni gli attribuiscono, me ne sbrigherò con un paragone. Guarda, mi diceva un giorno Sempronio mirando il cielo, guarda che nuvola significante. Non è quello propriamente un gran guerriero, tratteggiato sullo stil de' Carracci? Io alzai gli occhi e vedeva una nuvola.

M. A. Parenti, Cenni sullo studio della lingua italiana.

eamdem multis verbis Florentinae Academiae vendere; [1]) ita ut si quis orator esse velit, ad Boccaccium se recipere debeat! Sed ut ad rem nostram revertamur, cum in fabulosis narrationibus magna locum habeat rerum morum ac personarum varietas, nullus certus praefiniri potest stilus : pro rei enim opportunitate erit tenuis, mediocris, gravis; tum nitidus, elegans, floridus: nec vero audiendi sunt, qui huius generis scriptionibus luxum quemdam verborum ac figurarum semper congruere existimant. Ioci tamen sententiae, et honesta urbanitatis gratia semper maxime conveniunt. Stilus varius.

§ III.

De Fabula Romanensi

Romanensis fabula dici potest: ficta eventorum cum rerum nexu et solutione narratio. Quare cum non tam historiae, quam ampliori cuidam dramaticae actioni videatur similis ac pene omnia poëseos adiuncta atque ornamenta admittat, fere non immerito dicta est ab aliquibus species quaedam poëseos, etiamsi versibus non enarretur. Quid Fabula Romanensis?

Fabulae romanenses, Graecis et Latinis ac propterea ipsis Italis olim ignotae, quippe sapientiorum gentium gravitate indignae, sequioribus temporibus apud exteras gentes ortae, fuerunt primo omnes equestres: deinde amatoriae, quae pastorum prius, postea heroum etiam animi perturbationes sunt prosecutae. Sed fere eodem tempore subdolorum hominum fraudes hoc dicendi genere sunt descriptae: tum imperitorum vitia, quibus artes scientiaeque parvi penduntur, iocis et facetiis sunt exaggerata. Successerunt fabulae ethicae seu morales, quae utpote magis utiles, plurimam existimationem huiusmodi narrationibus conciliarunt. Hoc in genere infinitae scriptorum multitudini videtur antecellere *Telemachus* Fenelonii. Verum oleum et operam perdimus, si omnes romanensium fabularum formas amplecti velimus: usus enim obtinuit, ut quodlibet dicendi docendique genus fabularum more tractaretur [2]). Nos hic genus Varia genera. Genus historicum.

1) V. Dissert. dello stato presente della Lingua Italiana.
2) V. *Andres* vol. II. c. 7. Dei Romanzi.

illud, quod historicum vocant, et his temporibus summo est in pretio, tandem commemorabimus: nam praecipuam romanensium fabularum divisionem nunc constituit. Nec vero hac fabularum specie historiam ipsam, ut quidam somniantur, transmitti posse existimamus: hoc enim est maxime absonum atque absurdum, fictis adiunctis et fabuloso rerum, ac propterea causarum, nexu veritatem posteris consignari. Quid enim opus est verum fictis rebus involvi, et veluti ad mythologiam regredi, cum ipsa nuda veritas vix haberi aut suaderi possit? Quis verum a falsis commentis distinguet, cum auctores, natura ipsa scriptionis, eventus, locorum situs, personarum characteres poëtice efferre cogantur? Cum poësi igitur habeat quidem romanensis fabula fundum ipsum rerum ex historia deductum; sed poëseos non historiae officia sibi arroget.

Fabula fictitia et historica.

Itaque in his narrationibus, de quibus agimus, vel tum rerum structura et compositio, tum res ipsae et adiuncta omnia sunt commentitia: vel facta, res, et ornamenta praecipua universim ex historia fideliter sunt deprompta; sola vero rerum constitutio et structura est fabulosa. Prioris generis narrationem fictitiam dicunt: alterius autem historicam appellant. In hac multa et infinita commoda se invenisse auctores iactitant. Cum enim, ut aiunt, historia nec omnes eventus comprehendere potest, neque (quod de ipsa fabula romanensi alii tradunt) ad minutas quasque res debet descendere, accedit fabula romanensis, quae domestico quodam facto minima quaeque coniungit eventa, privatorum hominum indolem describit, singularis cuiusque temporis mores, animorum perturbationes, religiones, consuetudines, studia, habitus, cultus, leges disciplinasque persequitur. Qua re quisnam dubitabit magnam rerum cognitioni lucem afferri et plurima virtutum documenta hominibus tradi posse? Sed opus, quod longo temporis spatio, maturo mentis iudicio, et magna historiae fide elucubrari debet, quis expectabit a plerisque aetatis nostrae hominibus, qui fere omnia partium studio, praecipiti consilio, et repentina celeritate in lucem edunt? Scimus aliquos Italiae viros praeclaram hac etiam in re navasse operam. Nos vero unum nominabimus Manzonium, omni invidia maiorem; atque uti certum sapientis laboris exemplar et verum rerum utilitatis specimen, unum praeponemus Barthelemyum, qui in adornando iuvenis Anacarsis

Difficultates.

per Graeciam itinere triginta ipsos annos insumpsit, quo omni posterorum memoriae commendaretur a).

Fabulae Romanensis finis.

Iam vero, praecipuus fabulae romanensis finis est suavi rerum narratione homines doctrina informare, mores ac vices humanae vitae describere, errores et vitia, quibus ab animi perturbationibus inquinamur, exemplis veris vel fictis prodere; idque iis omnibus artibus, quibus hominum adfectus purgare, recte institutae vitae documenta praebere, et in virtutem amorem, odium in vitium excitando pravos multorum mores corrigere, rectos meliores efficere possimus. Quare omnia poësos officia huic scribendi generi sunt communia. Sed hac in re errant fere omnes scriptores, qui perversis doctrinis imbuti, et perversioribus adhuc virtutis atque vitii ideis informati, cum medicinam vulneribus facere deberent, profuso veneno plagas exasperant. Horum enim scripta, quae apud exteras praesertim gentes *vitarum*, *casuum*, *memoriarum*, *historiarum* titulo quotidie vulgantur, non solum nulli communi bono serviunt, sed falsis impiis ac turpibus doctrinis scatentia foedum otium et publicam morum corruptelam procurant. Quae vitia ut a-

Quae in hoc vitia?

a) È un bel piacere navigar per quei mari fra i discorsi dei marinari greci e dei passaggieri, smontare in quelle isole, scorrere quelle provincie tanto famose, passeggiare per l'Accademia, pel Liceo, pel Ginnasio, per le Palestre, conversare con Epaminonda, Senofonte, Platone, Aristotile, Isocrate, Demostene, e tanti altri grandi uomini, i cui nomi siamo soliti fino dall'infanzia a proferire con venerazione; contemplare i tempii, gli edificii, le pitture, le statue, e tanti miracoli delle belle arti, entrar nelle case, goder le tavole, le feste, i giuochi, i divertimenti privati e pubblici, informarsi del governo, della milizia, della religione, dei costumi, e in somma soggiornare in quelle incantatrici contrade e vivere con quei genii felici, maestri, per così dire, del genere umano: e ciò senza il timore di abbagliarsi col falso luccicore di un romanzesco ritratto, ma colla sicurezza di vedere ogni cosa al puro lume della storica verità. Questo è il gran merito di quel romanzo. *Il viaggio nella Grecia del giovine Anacarsi* non è che una favola; ma se egli realmente l'avesse fatto, avrebbe certamente trovati quei luoghi, quelle persone, quei costumi, quegli avvenimenti che or vengono da lui descritti: e perciò l'opera si fa leggere col solletico di un dilettevole romanzo, e coll'istruzione di una verace storia.

Andres, Vol. II. cap. 7. §. 314.

vertamus, id imprimis nobis curae erit, ut fabulae materies eligatur ea, quae ad morum informationem maxime faciat; tum ut meminerimus cuiusque scriptoris officium esse optimis doctrinis erudire mentes; animosque sanctissimis affectibus inflammare.

Fabulae Romanensis constitutio.

Constitutio fabulae romanensis, ut de historica praesertim loquar, haec est, ut eius narratio historiarum expositionem imitetur; sed res non solum geographia et chronologia, causis et effectibus nectantur, verum cum quadam actione primaria, quacum ceterae actiones cobaereant, apta connexione colligentur: ita ut, quemadmodum de poësi praescribitur, fabulae unitas habeatur. Quare earum, quae veluti in scenam producuntur, personarum aliqua primas partes habet, ac in singulis singularis cuiusque character effingitur, qui ad imum servetur: episodia praeterea, graphicae morum expressiones, rerum descriptiones, et cetera buiusmodi narrationum ornamenta magna structurae unitate contineri debent.

Dotes.

De stilo et dotibus romanensis fabulae pauca possumus adiungere: omnia enim, quae hac in re ad fabulosam narrationem pertinere diximus, huc maiori quadam proportione afferri debent. Verum stilus fabulae romanensis admodum difficilis est: pronum est enim ut vel langueat ex eo quod orationis proprius est, vel turgeat, quia ad poëticum debet accedere. Itaque ille partes explebit suas, qui medium quemdam stilum ex Caro Firenzuola et Gozzio expressum adhibebit. Quod ad proprietates spectat, in fabula romanensi requiritur etiam, quod caput est, admirabilis ille rerum et casuum nodus, qui in operibus dramaticis tantopere placet, licet heic possit esse magis obvius et solutu facilior: tum et characterum diversitas et dialogismi varietas laudatur. Ethopoeiae autem sunt crebriores, rerum ac locorum descriptiones fusiores, et omnium adfectuum tractationi longe lateque patet locus.

Stilus.

CAPUT II.

DE HISTORIA

Qui scribere debeat historiam.

Multarum rerum scientiam, multam dicendi artem, multam prudentiam ad historiam scribendam afferre debemus. Enimvero Catulus apud Tullium a summo oratore vult historiam conscribi: *Age vero, inquit Antonius, qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Si ut Graeci scripserunt, summi, inquit Catulus: si ut nostri; nihil opus est oratore: satis est non esse mendacem* [1]). Propius autem ad rem nostram Lucianus: Φημὶ τοίνυν τὸν ἄριστα ἱστορίαν συγγράφοντα δύο μὲν ταῦτα κορυφαιότατα οἴκοθεν ἔχοντα ἥκειν, σύνεσιν τε πολιτικὴν καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικήν. τὴν μὲν ἀδίδακτόν τι τῆς φύσεως δῶρον. ἡ δύναμις δὲ πολλῇ τῇ ἀσκήσει καὶ συνεχεῖ τῷ πόνῳ καὶ ζήλῳ τῶν ἀρχαίων προςγεγενημένη ἔστω. *Existimo igitur optimum historiae scriptorem duo quidem haec maxime necessaria secum habentem accedere debere; sapientiam nimirum politicam, et eloquendi facultatem: illa donum naturae est, quod tradi non potest; facultas autem eloquendi multo exercitio et assiduo labore ac studio veterum aucta sit* [2]). Ingenium primum ad res enarrandas maxime natum aptumque requiritur: tunc diuturni laboris patiens animus, et acre ac usu et experientia edoctum iudicium. Non solum enim omnes rerum memorias exquirere atque evolvere oportet, sed in veri investigatione diu ac solerter versari, comparare veteres scriptores, recentiorum examinare scripta, res omnes ad saniora principia et veras rerum causas idque ex solis monumentis revocare.

Qui scribebant apud veteres.

Quibus in rebus non diligentia modo, sed prudentia imprimis opus est: quae tanti facienda est, ut, si quid rerum scriptori interdum deerit, eloquentiae forte defectum facilius aliquanto patiamur, prudentiae nullo pacto. Doctiorum enim ac prudentiorum virorum proprium esse ducimus rerum memoriam historiae mandare: quod cum ab ipsa historiae natura et dignitate, tum Hebraeorum, Aegyptiorum, Persarum et Roma-

1) II. Orat, XII. 2) Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν, n. 34.

norum exemplo edocemur. Nam apud illos populos a viris principibus, a sacerdotibus, a magis, a pontifice maximo res gestae quondam scribebantur: quare Tatianus Graecos, qui olim secus fecerunt, non immerito reprehendit.

Praecepta hic tradenda.

Difficile est omnia historiae praecepta breviter complecti: historia enim cum multis ex disciplinis ducitur, tum pluribus iisque gravibus legibus continetur. Nos tamen, quod instituti nostri ratio postulat, summa capita saltem attingemus. Dicemus itaque primo de natura et divisione historiae: tum de eius dispositione et proprietatibus; tandem de eiusdem ornamentis et stilo. Quibus ex rebus facile est ut colligamus quid vitae illustrium virorum, quid reliquae historicae scriptiones expetunt.

§ 1.

De natura et divisione historiae

Natura: materies: finis historiae.

Historia, quae si Platoni in Phaedro credimus, inde nomen accepit, quod praeteritarum rerum memoriam, ceteroqui interituram, sistat apud posteros, Antonio Mureto videbatur: ***Rerum publice gestarum diffusa et continuata narratio*** [1]). Quae definitio, uti patet, non una re laborat. Universim enim historia dicenda est: accurata rerum humanarum ac divinarum, quae hominem spectant, cum causis, quae et ipsae factis innitantur, narratio; ut rerum praeteritarum experientia erudiantur homines. Nam primum materies historiae non sunt bella solum et triumphi, in quibus veteres historici fere solum sunt immorati; sed res omnes, quae ab homine vel a Deo, in gratiam ipsius hominis agente, proficiscuntur. Praeterea non consumendi otii causa, nec curiosa sciendi cupiditate inventa et perfecta est historia: sed ut eorum, quibuscum uno genere et communibus naturae legibus coniungimur, quique a nobis tempore aut loco dissiti sunt, res gestas cognoscentes, longa et varia eorumdem experientia vitam recte instituamus, bonos informemus mores, belli et pacis colamus artes, ac privatae publicaeque vitae casus et vicissitudines prudentia antevertentes posteris nostris praeclariora virtutum exempla transmittamus.

Necessitas historiae.

Senserat hoc praeclare Livius: ***Hoc illud***, inquiens, ***est prae-***

1) Vol. II. Orat. XXXIII.

cipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum: omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias: unde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites [1]. Habent enim maiorum exempla, nescio quam, immensam in animis vim: quare Tullius historiae eruditionem tantopere effert tamque vehementer commendat oratori: *Nescire autem, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem* [2].

Sed cum hominum vita rebusque ab hominibus gestis arctissimo vinculo continentur ea omnia, quae Deus O. M. in gratiam tum cuiusque hominis tum totius humani generis, duplici illo naturae et gratiae ordine, ab ipso rerum exordio operatur. Quare in hominum historia divinam imprimis admiramur sapientiam, bonitatem, misericordiam, iustitiam: ita ut rerum gestarum cognitione ad illud, a quo profecti sumus, principium mente voluntate operisque praesertim bonis atque honestis revertamur. Dei cognitio ab historia.

Non ergo, quod contendit Famianus Strada [3], attribuendi sunt historiae fines omnino duo, princeps alter propriusque, alter nexus cum eodem et sequens; transmissio nimirum rerum gestarum ad posteros earumque perpetuitas, et posteritatis fructus in maiorum factis cognoscendis: sed solum hic postremus, hominum scilicet utilitas: boni enim et sapientis viri est maxima illa commoda, quae ex historia obvenire possunt, sibi praeponere. Quapropter Lucianus, Plutarchus, Halicarnasseus, aliique doctiores homines unam utilitatem historico scriptori quaerendam constituerunt. Quamquam Tullius utrumque videatur complexus, cum historiam testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, nuntiam vetustatis appellarit [4]. Una utilitas ex historia expectatur.

Si quis magna arte historiam conscribere velit, instrui debet cum factorum scientia, quae facta ipsa exponit, atque illustrat, tum causarum cognitione, quae historiae est explicatio, ac in- Philosophia historiae.

1) Lib. I. Prooem.—2) I. Orat. XXXIV.
3) Lib. 2 Prol. 2 Hist. n. 9.—4) II. Orat. IX.

tima actionum principia, liberam scilicet hominis vim et providam Dei gubernationem, ex cuiusque finibus ostendit. Nam homo utpote ratione pollens, quidquid agit, finis alicuius gratia libere agit: utpote sub Dei providentia constitutus, a Deo ipso in omnibus gubernatur ac regitur, ut divina gloria certe sequatur: ita ut quemadmodum ceterae res omnes homini serviunt, sic homo ipse Deo obsequatur, ac in eodem, ut inquit Augustinus, divina vel misericordia vel iustitia laudetur. Hoc sensu historia est: scientia liberae humani generis sub actuosae Dei providentiae legibus evolutionis; atque a recentioribus philosophia historiae appellatur [1]), quam merito egregius eloquentiae magister duabus legibus regi vult: altera ut Christiana veritate nitatur; altera ut factorum studium principiorum usum antecedat a).

Historia critica.

Ab historiae philosophia non multum abludunt historia critica et coniecturalis. Critica historia est ea, quae sanae critices legibus ex pluribus iisque certis monumentis accuratiorem rerum gestarum narrationem contexit, earumque causas latius diligentiusque repetendo maiorem praeteritis aetatibus lucem affert, magna cum hominum utilitate. Hoc studio, quod ingenti animi magnitudine Bollandistae ad *Acta Sanctorum* prius attulerunt, recentiores nonnulli, praesertim Leo, Moeller, Luden, Hurter, Tillier, Lochner, Voigt, aliique maximam sequiori aevo [2]) lu-

1) V. *B. H. Freudenfeld*, Principî della Storia, § 1 e seqq.

2) Medio Evo.

a) *Toute philosophie de l'histoire doit s'appuyer sur le christianisme*, qui seul est de tous les temps et de tous les lieux; qui seul remplit et explique l'histoire, parce que seul il embrasse l'humanité dans ses faits universels, celui de sa chute et celui de sa rehabilitation; qui seul, enfin, enseigne l'idée exacte du guvernement de ce monde, en nous faisant voir dans la societé humaine des créatures libres sous une providence qui atteint toute limite et tout detail.

L'étude des faits doit précéder toute application des principes. Il ne s'agit pas de créer une histoire au moyen d'un systeme, en combinant une série d'idécs abstraites et de conjectures plus ou moins probables: la philosophie de l'histoire ne peut pas, comme une théorie à part, être séparée de l'histoire même; ses résultats doivent surgir du milieu des faits et s'offrir comme d'eux-mêmes à l'observation, si elle est faite avec conscience et avec vérité.

Broeckaert, S. I. *Le Guide* P. IV. c. 6. a. 3.

cem et splendorem protulerunt, ac sanctissima Christianae Religionis iura et totius humani generis decus ab impiis atque inverecundis Robertsonii, Humei, Gibbonii, Hallami, Giannonis, Bottae, universaeque voltairianae scholae iniuriis calumniisque vindicarunt. Sed hoc philosophicae historiae genere abutuntur illi, qui vel incredulitatis aestu, vel partium studio abrepti non rerum gestarum notitiam explicant; sed privata insanientis animi systemata, praeconcepta iudicia, et intestina contra Religionem et Respublicas odia, perversa rerum omnium interpretatione et absurda doctrinarum ac morum eruditione, exprimunt. Quod malum adeo excrevit, ut nihil magis ad commune hominum bonum, videatur optandum, quam sincera tantum et nuda rerum expositio; iudicio de rebus ipsis prudentiorum lectorum sapientiae relicto. Plerique enim e recentioribus historicis rerum gestarum causas non enarrare sed divinare et comminisci student, resque summa iudicii perversitate aestimant [1]. Qui cum Mablyo [2]) rogandi essent num ad ea rerum studia diligenter animum adiunxerint, quae κατασκευαστικά dicerentur, quaeque nullo modo ab historiae scriptore negligi possunt? Num morum doctrinam, num ius naturae, itemque gentium, num administrandae reipublicae disciplinam, num universam Religionis, de qua tam praecipites iudicia ferunt, scientiam didicerint? Quod si a poëta Horatius poscit, ut sciat: Hac multi abutuntur.

. . . . patriae quid debeat et quid amicis
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis [3]);

quanto magis haec et maiora ab historico sunt repetenda, qui de rebus gravissimis, clarissimisque viris, magno omnium aetatum vel commodo vol detrimento, debet iudicare?

Cum infinita illa tenebrarum, quibus pleraeque Graecorum ac Romanorum res obruuntur, caligo, tum nimius patriae gloriae amor, qui veteres historicos ad illustria tantum et cuiusque gentis propria enarranda impulit, eruditorum quorumdam animum excitavit, ut ex antiquorum scriptorum compa- Historia coniectualis.

1) V. *Feder. Schegel.* Filosofia dell'Istoria Lez. I.—2) Maniére d'écrire l'histoire, I.er Entr.—3) Epis. ad Pis. v. 312...

ratione, et ex nummis, ex papyris, ex picturis, aliisque antiquitatis monumentis pleniorem et accuratiorem historiam construerent. Eius generis historia, quia coniectando componitur, *coniecturalis* dicitur: quae si ab eruditis et sagacis iudicii viris scribatur, suo est in pretio. Sed ridendi sunt homines, qui quum videant viros in re antiquaria celeberrimos magnis saepe contentionibus se invicem discerpere, coniecturalem tamen historiam tanti faciunt, ut veteres omnes historicos ab Herodoto et Thucydide ad Ammianum Marcellinum et Aurelium Victorem iuniorem, a primis graecis ad ultimos latinos, impudenter in omnibus contemnant.

Divisio historiae: Vita.

Iam vero, ut ad alias historiae divisiones veniamus, si narratio complectitur cognitionem peculiarium cuiusque hominis actionum, vocatur Vita, seu *Biographia*. Quae cognitio non erit plena, nisi et consideretur etiam divina providentia, quae vel cuiusque hominis cursum singulariter regit, et homo huius vitae finibus non circumscribatur: vivit enim adhuc post mortem, et divinae providentiae leges non effugit. Quare cum nesciamus quid, post discessum a corpore, acciderit animabus, plenum iudicium de hominibus singulis non possumus informare; coniicere possumus. Hac ratione historia dicitur: *Schola morum ac regula vitae*, et egregia hominum educatrix semper extitit.

Historia particularis.

Cum narratio persequitur originem et progressum alicuius ex humanis societatibus, habetur historia Domus, Urbis, Imperii, Gentis, alia. Hoc etiam in genere considerari debet provida Dei mens, quae quamque societatem ad certum aliquem vel praescriptum vel permissum finem alia atque alia ratione moderatur. Sed domus, urbes, imperia, gentes, qua huiusmodi, praesenti tantum vita definiuntur, nec ad aliud aevum transcunt: quare heic puniri vel praemio affici debent. Propterea historia in hac re maxima proponit de divina providentia exempla, atque sic inspecta est: *Schola* Πολιτείας, et magistra eorum omnium, qui hominibus praesse solent.

Historia universalis.

Tandem narratio potest maxima amplitudine duci, ac omnes hominum societates uno generis humani titulo coniunctas spectare: tunc habetur humani generis historia, seu historia universalis, quae ingenio ac doctrina exposita ad excelsiorem scientiae gradum attollitur. Nam auctore Augustino, cuius mentem secutus est primum Salvianus Massiliensis, deinde

Benignus Bossuetus in aureo de Historia Universali sermone mirifice explicavit a), scriptor per tot imperiorum ac gentium casus et vicissitudines hominem ad supremi Dei sapientiam potentiam ac iustitiam admirandam ducit, efficitque, ut divina providentia, singulas res ad propositos fines adducens, oculis prope subiiciatur. Hac methodo descripta historia est : *Schola divinae providentiae*, generale hominum magisterium, atque, si placet, totius humani generis educatrix. Verum haec historiae ratio utrasque priores eiusdem historiae rationes complectitur, atque omnes fines ac decreta de societate atque homine constituta explicat.

Age, historia universalis dividitur in *antiquam* et *recentiorem* [1]).Antiqua rursus dividitur in *sacram*, quae Dei populum, quantum ad constitutionem amplificationem ac perpetuam verae Ecclesiae vitam, spectat; et in *profanam*, quae respicit antiquos populos, ad mutuam Populi a Deo Electi veraeque Ecclesiae rationem comparatos. Utraque historia dividi adhuc potest in *historiamPopuli Dei,ceterarum gentium,et imperiorum*: quare Dei providentiam in confusione linguarum et dispersione populorum, in vocatione Abrahae et in variis Populi Electi, Assyriorum,Persarum,Macedonum,et Romanorum tempore, casibus facile est suspicere. Historia antiqua Sacra et Profana.

Iterum historia recentior, quae res omnes repetit ab adventu divini Servatoris, et Christianam Ecclesiam spectat, dividitur in *Ecclesiasticam* et *Profanam*. Ecclesiastica respicit divinae providentiae actionem in Christi Ecclesia condenda proferenda et ad haec usque tempora gubernanda : Profana exponit rerum recentiorum seriem ac successionem, quae, si recte scribantur, manifestant Dei per Christi Ecclesiam actionem quoad populos et imperia. Historia Ecclesiastica maximam illam suam periodum ad seculorum consummationem extendit : generatim ta- Historia recentior Ecclesiastica et Profana.

1) Moderna.

a) On pourrait encore se former le plan d'une histoire universelle, en remenant tout à quelques peuples célèbres qui se sont succédés sur la scène du monde, et à quelques époques principales qui ont été autant de révolutions pour le genre humain... C'est sur ce plan que Bossuet a composé son discours sur l'histoire universelle; ouvrage inutile aux personnes peu instruites, mais qui fera éternellement les délices de celles qui sont dignes de l'entendre. *Mably*, Manière d'écrire l'histoire.

men recentior historia tres adhuc periodos numerat: historiam imperii romani et priorum temporum Christianae Ecclesiae: historiam christianorum imperiorum, boc est sequioris aevi; et historiam Apostasiae populorum, seu tria superiora secula, quae rebellionis fuerunt tempora [1]).

§ II.

De dispositione et proprietatibus historiae

Scriptoris diligentia.

Quam diligentem operam, quamque diuturnum studium in historiae materia perquirenda, monumentisque omnibus vel vestigandis vel iudicandis collocare oportet, ex ipsius historiae natura et officio intelligi potest. Historia enim tum fidissima veritatis testis est, tum aequissima personarum temporum rerumque omnium iudex. Sed tamen, ad delectum quod spectat, qui universalem scribit historiam, materiam habet certam et fere constitutam: quare, quam alii in eadem seligenda adhibere debent diligentiam, ipse ponet potissimum cum in statuendo fine, ad quem omnia conspirent, tum in rebus ita disponendis ut mutuo, velut causae et effectus, continenter se excipiant: non solum enim historiae finis e vestigio apparere, sed facta omnia ita coniuncta atque nexa esse debent, ut posteriores priorum motuum videantur effectus.

Argumenti delectus.

Verum qui particularem, ut aiunt, describit historiam, maximam etiam curam conferre debet primo ad materiem parandam tum ad eligendum argumentum, ex cuius narratione certa et publica commoda consequi possint. Argumenti enim delectus est praecipua dos historiae particularis. Nam, ut ait Mablyus [2]), si aliqui excipiantur, qni romanenses tantum fabulas legere deberent, ceteri homines sterili delectatione minime explentur; sed doctrinam expetunt, quae ingenui et liberalis hominis vita est et spiritus. Quare historiae scriptor in re, quam narret, semper veritatem aliquam, quae ad mores vel optimam reipublicae administrationem spectat, repraesentare debet. Quod facilius obtinemus, si temporum epochas periodosque et praecipuos rerum eventus, ex quibus libri librorumque capita na-

1) V. *B H. Freudenfeld*, Storia universale secondo i veri principii. loc cit.—2) V. *Mably*, Manière d'écrire l'histoire.

scantur, optime constituamus: in qualibet autem epocha singularive eventu quid solemne quid consequens sit praevideamus. Hanc sibi legem Thucydides, Sallustius, Herodianus atque ipse Plutarchus praestituerunt.

In utraque vero historia diu multumque cogitare debemus, ut optimam rerum seriem animo praecipiamus. Quae series duplex est: alia communis, artificiosa alia. Communis naturae aut temporis successionem persequitur, et ab origine res repetens, sine partium perturbatione attingit medium et ad finem naturali ordine accedit. Artificiosa autem, negligens temporis ordinem, res aggreditur unde commodius exordiri credimus, ac postea exponit ea quae praeteriit, et cum iis, quae supra narraverit, omnia nectens ad finem progreditur. Seriem artificiosam sequuntur ut plurimum poëtae, et saepe oratores: communem seu naturalem historici. Itaque historia fere solum rerum temporum ac locorum ordine continetur. Potest nihilominus historiae scriptor, imo interdum debet, aliqua postponere aut anteferre, si ita exigit rerum intelligentia et gravior historiae utiliorque expositio. Quod praeceptum a Theone et Luciano propositum confirmari potest exemplo Herodoti, et, quod mirum est in Annalibus, ipsius Cor. Taciti [1]). Optime enimvero facit, qui ne confusio rerum oboriatur aut incepta narratio retardetur, eventum aliquem integre exponit, ut scribat deinceps ea, quae interim hic eveniunt vel geruntur alibi: nam habenda est etiam saepe locorum ratio atque rerum, ne lector in dissitas quasque partes eodem tempore feratur, vel rerum gestarum cursum identidem interrumpat, uti accidit in Thucydide.

Rerum series duplex.

Quae propria Historiae?

Atque ut propius ad dispositionem accedamus, *Rerum ratio,* ait Tullius, *ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem* (quibus verbis chronologiae et geographiae studium commendatur): *vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus expectantur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo; et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes, vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis; hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui*

Ordo textusque Historiae

1) V. *A. Mascardi,* Trattato V. 5. cap. 5.

fama ac nomine excellunt, de cuiusque vita atque natura [1]). Ea igitur dispositio videtur probanda, in qua cum breviter praemiserimus illa, sine quibus difficile intelligentur ea quae narrabimus, sic res ordimur, ut priores eas, quae consequentur, generent, et narrationis corpus videatur ex ipsis factis gigni crescere et absolvi. Si ita fiet, non comminiscemur rerum causas: superiora enim facta eorum, quae succedent, erunt causae, et posteriora eventa gignent etiam alia; praesertim si hominum rerumque omnium habeatur usus, cuius defectu veteres interdum peccaverunt. Sed si accidat aliquid, cuius ratio sufficiens in prioribus non appareat, possumus tunc causam vestigare, dummodo factis innitamur, nec unquam abripiamur praeiudiciis. Ceterum nec causas semper exponere debemus: si enim historia pro hominum non eruditorum usu scribitur, saepe inutilis, saepe etiam damnosa est huiusmodi cura a).

Causae seipsas prodant.

Locus aliarum rerum.

Descriptiones, orationes, digressiones, doctrinae morum, sententiae, et cetera eiusdem generis ornamenta, in quibus optimi quique historici maxime se diligunt, tam opportuno loco et adeo ad rem sunt adhibenda, ut si auferrentur vel imminuerentur, aliquid pleniori historiae narrationi deesse sentiremus. Omnia autem, quae apta dispositione fuerint digesta, variis transitionum generibus sunt liganda. Perfecta transitio raro, saepius imperfecta est usurpanda ab historico, saepissime quaedam propria historiae, et addiscenda a Caesare, Livio, ceterisque, qui hac in re habentur praestantiores: mirum enim in

1) H. Orat. XV.

a) Il est juste que les hommes, que la misére de leur condition ne condamne pas à tout ignorer, ne soient pas étrangers dans le monde qu'ils habitent. Ils doivent prendre dans leur éducation une idée générale de l'histoire universelle. Dans ces élémens destinés à instruire des jeunes gens, dont la raison n'est pas encore formée, il n'est point question de developper les causes des évenémens, et d'étaler les richesses de la politique. Que l'écrivain cependant soit assez instruit pour eviter des erreurs dangereuses, et ne pas corrompre l'esprit, e le coeur de ses lecteurs, en leur faisant prendre des préjugés nationaux pour de vérités. Il doit se borner à former le coeur de ses letteurs, les instruire de préceptes généraux de la morale, élever leur ame, et tâter simplement leur esprit en leur offrant quelquefois de reflexions que piquent leur curiosité. *Mably*, Maniére d'écrire l'histoire.

modum ad optimam totius historiae compagem faciunt aptae transitiones 1).

Historiae Veritas.

Ut historiae proprietates felicius constituantur, praestat historiae finem perspectum cognitumque habere: morum nimirum ac religionis sanctitatem, artium et scientiarum incrementa, rectam domorum ac rerumpublicarum administrationem vera solum et incorrupta rerum praeteritarum narratione in hominibus serere, colere, fovere. Itaque veritas, quae maxima virtus historiae semper habita est, non tam proprietas quam natura eiusdem historiae censenda est: ita ut, si veritas deest, ipsa historia esse desinat. *Nam ut animans*, inquit Polybius, *si eidem visum ademeris, inutilis totus evadit, sic ex historia veritate sublata, quod eius reliquum est, infructuosa existit narratio:* Ω῞σπερ γὰρ ζῶον, τῶν ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειοῦται τὸ ὅλον, οὕτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τῆς ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίγνεται 2).

Scriptoris fides.

Quare Lucianus fere omnia historiae praecepta incorruptis scriptoris iudicio et fide definit. Hoc in genere veteres omnes ac recentiores valde tenaces et accuratos se profitentur: verum ut praeteream eos, qui Voltairium secuti, ad religionem insectandam moresque bonos corrumpendos historiam consulto vitiarunt, nemo scriptorum, ut ait Vopiscus (in vita Aureliani), quantum ad historiam pertinet, non est mentitus. Nam difficile est ea omnia effugere, quae in errorem vel falsitatem homines inducunt: timor scilicet potentium, vel studium partium, privata hominum vel urbium commoda, animi vel educationis praeiudicia, aestus, socordia, negligentia.

Tullii hac in re leges.

Iam vero, certa ad veritatis narrationem praecepta ante oculos sita esse ait Tullius: *Nam quis nescit*, inquit, *primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis?* 3) Quas leges, nimis verbose, sed ceterum egregie explicat Augustinus Mascardi 4). Strada partem illam, *ne quid falsi dicere audeat*, pulchra similitudine illustrat: *Soleo ipse historicos comparare cum eo pictorum genere, qui etsi in cetero artificio minus praestant, tamen in alicuius aspectu in-*

1) *Mascardi*, Trat. V. c. 5. part. 2.—2) Ex lib. II.—3) II. Orat. XV. 4) Tratt. II. cap. 3. e seqq.

discreta pene similitudine figurando, atque in ipsa oculorum ac totius oris suavitate propemodum geminanda mirabiles successus habent, operaque consummant. Polygnotum aiebat Aristoteles solitum esse, quos exprimeret, facere meliores, Dionysium vero similes. In hac posteriore classe censeo historicorum picturam; ut quem litteris pingunt, et quasi colorant, veram eius speciem animo capiant, suisque lineamentis illum referant, tanquam per se illico agnoscendum: nec studeant naturae vitia artificio corrigere externarumque appositione rerum, velut alienis pigmentis oblitum, suopte ingenio conformare. Poëtarum hoc munus est in maius effingere, nec quemquam e singulis, sed hominum simulacra generatim universeque proponere [1]).

Quatenus dicendum verum?

Illud autem, *ne quid veri non audeat*, ita intelligendum est, ut virtutes vel in hoste et maxime perdito homine plene semper recenseantur; nam qui virtutes omittunt, ait Polybius [2]), id non minus quam mendacium in illis est culpabile: proferantur etiam rerum vel personarum adiuncta omnia, praesertim si facti vel personae iudicium melius instituendi opportunitatem praebeant. Sed vitia et facinora tunc solum sunt enarranda, cum sunt iam publica, cum privatas personas non respiciunt, cum certa narrationis utilitas apparet, cum ultro susceptae vel aliunde inflictae poenae etiam adiiciuntur; nec unquam scriptoris astu vel imprudentia prodantur. Immo etiam cum necesse est turpe aliquid litteris tradere, nihil graphice aut nimis singillatim est describendum: nam historia utpote vitae magistra et morum disciplina abstinere debet a sceleribus, quae narrata et publicae civium honestati nocent et hominibus infamiae notam imprudenter inurunt, et scriptori ipsi sunt dedecori.

Luciani sententia.

Ceterum in rebus aliis habeat omnino illud Luciani: Τοιοῦτός οὖν μοι ὁ συγγραφεὺς ἔστω, ἄφοβος, ἀδέκαστος, ἐλεύθερος, παρρησίας καὶ ἀληθείας φίλος, ὡς, ὁ κωμικὸς φησι, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην δὲ σκάφην ὀνομάσων, οὐ μίσει οὔδε φιλίᾳ τι νέμων, οὐδὲ φειδόμενος ἢ ἐλεῶν ἢ αἰσχυνόμενος ἢ δυσωπούμενος, ἴσος δικαστὴς, εὔνους ἅπασιν ἄχρι τοῦ μὴ θατέρῳ ἀπονεῖμαι πλεῖον τοῦ δέοντος, ξένος ἐν τοῖς βιβλίοις καὶ ἄπολις, αὐτόνομος, ἀβασίλευτος. *Talis igitur mihi sit historiae scriptor: sine timore, donis*

1) Lib. II. prol. 2. Hist. part. I. n. 19.—2) Lib. 14.

non corruptus, sui iuris, libertatis et veritatis amans ; qui , ut inquit Comicus , ficum ficum , scapham scapham appellet: non odio neque amicitia quidquam tribuens , neque parcens , aut miserans , aut reverens , aut verecundans : iudex aequus , benevolus omnibus usque eo , ut alteri non attribuat plusquam debetur: hospes in suis libris , et sine immodico civitatis aut imperii aut regentium amore [1]. Ut autem haec omnia praestemus, eorum imprimis probatur iudicium, qui vetant nostrorum temporum res gestas a nobis conscribi. Etsi enim, qui sui temporis res scribit, cum melius veritatem inquirere potest, tum et clariores rerum picturae inducere colores et opportune in ipso eventorum cursu quaedam ferre iudicia vel tradere documenta; tamen saepius ea sunt temporum locorum ac personarum adiuncta, ut facilius in ceteris historici viri officiis peccemus, quam tanta commoda consequamur: siquidem vel potentium hominum animos inconsulto irritamus vel in communi perturbationum aestu, partiumque studio, veritatem aut non assequimur aut temere et sine fructu prodimus. Nec vero a rebus praesentibus scribendis omnino abstinere debemus: sed cum scripserimus, eas diu multumque commentemur, expectemusque tempus, quo in publicum sine erroris aut imprudentiae periculo afferantur. Interim defervet etiam, si qua est, omnis simultas, quae maxime abesse debet ab historico, quaeque saepe a partium studio, ab ulciscendi desiderio, vel a publicarum rerum odio profecta, eo procedit, ut obtrectatio ipsa, saepissime mendaciis et calumniis referta, a perditis scriptoribus scribendi libertas appelletur.

Quomodo impletur?

Fugienda simultas.

Praecipua etiam historiae proprietas est unitas, quae non solum ex locorum temporum ac rerum ordine et nexu exurgit, sed ex eo quod scriptor factis ipsis ostendendum prudenter sibi praestituit: puta si una res semper prae oculis habeatur, ac ita cetera, dum ab uno evolvuntur, se excipiant, ut arctam causarum ad idem tendentium veluti catenam efficiant, conspirentque ad eumdem scopum. Romani ad succrescentem rerum potentiam et universum terrae imperium aspirantes miram historiae unitatem suppeditarunt Livio et Polybio; sed praeclarius hac in re emicat Bossuetus, qui prior veram texendae historiae

Historiae unitas.

1) Πῶς δεῖ . . . . . . n. 41.

artem evolvit, eum ex rerum narratione admirabilem Dei providentiam effulgere fecit.

Unitatis necessitas.

Qui peculiares historias scribunt, facilius servare possunt, uti debent, unitatem, et offerre lectoribus unum veluti corpus, ne per loca, tempora, resque dispares temere evagentur. Actionis et finis unitas, quae tantopere requiritur in poësi praesertim epica, ut herois rebus animi intenti detineantur, aeque necessaria est in historia: postulat enim illam suapte natura humanus animus, qui nequit pluribus eodem tempore rebus attendere, quin dividatur quodammodo, ac ideo minus percellatur primum, tum fatigetur, irretiatur tenebris, afficiatur taedio, nullum denique ex proprio studio consequatur fructum.

Perspicuitas.

Ex unitate et rerum connexione oritur perspicuitas, quae cum sit omnium scriptionum summa proprietas, in historia, quae omnibus intellectu facilis esse debet, requiritur maxima: proficiscetur autem potissimum ex ordine cum universo totius historiae, tum cuiusque partis proprio. Huiusmodi vero ordo in rerum praesertim expositione consistit. Quam ut recte ineamus, necesse est primum, ut rei, quam scribere aggredimur, vim omnem naturamque quam perspicue praecipiamus; tum ut reiiciamus ea omnia quae vel sterilia sunt vel a re nostra aliena; tandem ut rem illam arripiamus, quae ceteris omnibus factis rebusque maxime dominetur. In quibuslibet enim consiliis, inceptis, negotiis eventisque unum semper aut duo eminent, quae per omnes successus, tanquam causae pervadunt, nectuntque res singulas omniaque facta. Qui primum illum fontem et quasi principium invenerit, is facile lucidissimum ordinem rebus inducet.

Reliquae historiae dotes.

Reliquae sunt historiae dotes tres: scriptoris dignitas, rerum gravitas, et totius historiae in partes sibi proportione congruentes divisio. Postulat dignitas, ut nihil plebeium, nihil vulgare, nihil scurrile aut ridiculum, nihil puerile aut nimis liberum sit: quibus vitiis inficitur maxime Voltairius 1). Gravitas autem rerum exigit, ut animi lectorum narrationis utilitate capiantur: ad hoc confert, si posito rerum delectu, minutae res paucis, grandiores pluribus describantur: qua in descriptione, ut graphica illa sit, non tam multa, quam aptiora adiuncta sunt perstringenda. Tandem divisio totius historiae sic est facienda, ut

1) V. *Mably*, l. c. *Sec. Entr.* — *Blair*, vol. II. lez. 10.

partes aeque sibi invicem respondeant: multum enim unitati ac dignitati historiae officiunt magna illa discrimina inter unam aliamque partem.

§ III.

De ornamentis et stilo historiae

Ea historiae ornamenta censeo, quae cum nuda rerum gestarum expositione sic connectuntur, ut haec maiorem perspicuitatem et vim acquirat. Nam si maior inde perspicuitas ac vis absit, quidquid ad pompam additur supervacaneum est, et ut rerum narrationem retardat, sic historiae fructum impedit. Scribendi enim ratio concisa aeque ac plena in historia placet: diffusa non item: prolixa est omnino vitiosa. Ornamenta vero sunt descriptiones, ad quas saepe requiritur Geographia et Chorographia [1]): appositae regionum vel civitatum de moribus, religione, artibus scientiis, et industriis, aut commercio notitiae: ethopoeiae et prosopographiae hominum insigniorum: orationes, maxime quae in senatu vel apud exercitum habitae sunt: publicarum rerum et morum ac religionis iudicia, gravibus interpuncta sententiis: tandem digressiones, quae nec crebrae sint, nec longiores; in quibus cum fuerit nexus et cum delectatione utilitas, tum reditus ad rem aptus et concinnus esse debebit. Quae Historiae ornamenta?

Descriptio autem, quae interdum ad voluptatem etiam non frustra inscritur, his reguiis continetur: ut sit viva et efficax, rerumque, quasi gerantur, sub adspectum pene subiectio; nam descriptio, ait Priscianus, est oratio colligens et praesentans oculis quod demonstrat: ut, praesertim in rebus maioris momenti non modo sit fidelis, sed maxime accurata; propterea ut scriptor locum tempus aut rem, quam describit, optime noscat: ut in rebus gravibus leviorum rerum non inducatur descriptio: ut in rebus longe a nobis positis vel ignotis et novis ad minima quaeque scriptor descendat; quod in cognitis, et in iis, quae oculis subiiciuntur, esset vitiosum [2]). Descriptionum Leges.

1) V. T. Liv. lib. XLV. c. 25. Macedonia — Caes. B. G. Lib. VII. c. 25. Alesia — C. Tac. Ann. Lib. IV. 67. Capreae.

2) V. Tit. Liv. Lib. I. c. 12. *Alba diruitur.* — Lib. XXI. c. 2 et 4.

Prosopographia Ethopoeia.

Ex quo fabulae romanenses percrebuerunt, studium illud, quod a fabularum scriptoribus in oris habitu et corporis incessu describendis ponitur, ad historiam etiam saepe deducitur: perinde quasi plurimum posterorum interesset scire, quo quis statu, qua fronte, quo vultu, quo capillo, quo colore, quibus, diductis an compressis, labris usus fuerit. Est quidem prosopographiae quoque in historia locus, sed raro et parce [1]). Saepius ethopoeia est delineanda, quae animum et mores hominum brevi sed accurata pictura legentium oculis offert: quare non solum opportune est describenda, sed ita graphice effingenda, ut paucis sed evidentioribus coloribus plena hominis imago habeatur [2]).

Orationes vel conciones.

Orationes vel conciones, quae habitae sunt, magna fide adferuntur: verum ut possunt brevibus perstringi, cum non expedit integras referre; sic scriptoris stilo exponi malunt, modo res ipsae in sententiis, vel mores hominum aut gentium in verbis non immutentur. Quod si sententias et opiniones, quas habitas ab hominibus acceperimus, praestat ab earumdem auctoribus directa oratione referri, meminerit scriptor id ita sibi licere, si et necessarium erit, et tum hominum character servetur tum temporum ac morum vera pingatur indoles [3]). Tunc autem necessarium erit cum conciones aut deperditas aut ex tempore et interrumpte habitas fuisse constat, ac si personae loquentes non inducantur, historia ipsa perpetua narratione langueat et frigeat, necesse est. Nec vero multum timendum erit, historiae ne veritas laedatur: nam si prudentia adhibetur, forma solum, quam scriptoris esse scimus, erit ficta; rei autem substantia erit vera: ponimus enim ex rerum monumentis personas inductas vel ita locutas fuisse, vel ita consuevisse et

Sagunti oppugnatio.—Lib. XXV. c. 8. *Tarenti obsidio.*—Caes. B. G. Lib. VI. c. 5. *Mores Gallorum*—B. C. Lib. III. c. 29. *Caesaris et Pompeii pugna.*

1) V. Cor. Nep. Agesilaus, VIII.—C. Svet. Iulius Caesar, XLV, Octavius, LXXX.—*Giambullari*, Stor. d'Europa, lib. I. Ungheri antichi.

2) V. T. Liv. Lib. XXI. c. 1. Annibal.—Lib. XXVI. c. 14. P. Scipio. — Corn. Nep. Epaminondas, III.—Atticus, XV. —Corn. Tac. Ann. Lib. IV. I. Seianus—Hist. Lib. I. 49 Galba.—C. Sall. Catil. XLIX. Caesar et Cato — *Giambullari*, Stor. d'Europa lib. I. Suembaldo. — *Davila*, Stor. delle guer. civ. di Francia, Duca di Guisa.— *Bartoli*, Stor. d'Inghilterra, Elisabetta.

3) V. *Mascardi*, Trat. 2. c. 4. Trat. V. cap. 2.

tunc temporis debuisse loqui. Si scriptor potest, imo debet, ex rerum causis in ipsos reconditos hominum recessus penetrare, et eorundem sententias, consilia, desideria, motus animorum omnes prodere, quid mali erit, vel quid non potius commodi, si haec ipsa directa oratione a suis auctoribus manifestentur? Video nihilominus hanc sententiam recentiorum rerum scriptoribus, qui tot monumenta vel scripta vel typis mandata habent, parum vel nihil suffragari posse; imo nec velim: sed valet plurimum ad veteres ab imprudenti quorumdam nota defendendos. Quamquam nec id omnino opus est: veteres enim vel ipsas conciones habuerunt, vel certe monumenta, quibus nos modo caremus [1]).

Iudicia, sententiae.

Reipublicae administrandae iudicia,morum doctrinae, et sententiae ex ipsis narrationibus,uti videre est praesertim in Tacito, nectantur et magnam prae se ferant scriptoris prudentiam, consilium, virtutem, gravitatem: neque enim temere quis alios erudiendi officium suscipere debet, neque historiae limites praeterire, et praeceptorum satietate lectorem offendere. Qui pro pueris historiam scribit, operae pretium facit, si longius in morum sententiis immoretur: qui vero pro hominibus iam eruditis scribit, is optimos quosque historiae scriptores hac in re imitabitur. Quam saepe sola rerum narratio, modo apta sit et morata, plus movet, quam nimis crebra et studiosa sententiarum acumina! [2]) Enimvero pauper sententiarum est Herodotus, Thucydides dives: parcus Livius, prodigus Sallustius, Caesar inops, Tacitus largus videtur. Quapropter hac in re ingenio scriptorum et rerum naturae paululum est indulgendum.

Historiae stilus ex Tullio.

Sed ad stilum accedamus. Tullius cum dixisset ipsam historiae exaedificationem positam esse in rebus et verbis, *Verborum*, addit, *ratio et genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac iudiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis, persequendum est* [3]). *Historia currere debet ac ferri*, ait Quintilianus [4]), et inferius: *Historia non tam finitos numeros, quam orbem quemdam contextumque desiderat. Namque omnia eius membra connexa sunt, quoniam lubrica est, ac fluit, ut homines, qui manibus invicem apprehensis gradum firmant*,

1) V. *Broëckaert*, Le Guide, P. IV. c 4. a 2. § 3.— 2) V. *Andres*, vol.III. part. 2. cap. I. n. 103.—3) II. Orat. XV.—4) Lib. IX. c. 4.

continent et continentur. Quare uno perpetuoque tenore duci debet historia, nec indigesta monumentorum et testium recitatione farciri vel crebris subscribi notis. Afferri quidem possunt monumenta et testimonia; sed ita ut cum unum historiae corpus conficiant, tum nostro proprioque stilo exponantur. Haec est pars stili in historia: reliqua innuit idem Cicero, *Videtis*, inquiens, *quantum munus sit oratoris historia? haud scio an flumine orationis, et varietate maximum*. Quae in verba Strebaeus: *Flumen*, ait, *orationis est copia tum verborum tum sententiarum: quae sicut flumen abundat, et impetu quodam continuo procurrit. Varietas alia rerum, alia verborum* [1]).

De varietate Tullius.

Quamquam ad ea, quae veram historiae varietatem spectant, mirabiles illi affectus imprimis quaerendi sunt, quos varii temporum casus rerumque vicissitudines gignunt. Quare Tullius L. Lucceium hortans, ut civilis coniurationis, quam ipse Cicero detexerat, historiam separatim scriberet: *A principio*, inquit, *coniurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse: in quo et illa poteris uti civilium commutationum scientia, vel in explicandis causis rerum novarum, vel in remediis incommodorum, cum et reprehendes ea quae vituperanda duces; et quae placebunt, exponendis rationibus, comprobabis, et si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam etiam casus nostri tibi varietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam voluptatis, quae vehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. Nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates, fortunaeque vicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae. Habet enim praeteriti doloris secura recordatio delectationem. Ceteris vero nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli iubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum: ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum*

1) Comm. in II. Orat. XV.

laude moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistocli fuga, redituque retinetur? Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione factorum: at viri saepe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, expectationem, laetitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissima lectionis voluptate [1].

Verum historici stili leges propius complectitur Lucianus: *Quantum vero ad dictionem et eloquendi facultatem attinet, vehementi quidem illa atque aspera, et periodis continua, et argumentis contorta, ceteraque vi oratoria non admodum exacutus, sed placide magis animo affectus, ad scribendum accedat historicus. Ac sententia quidem sit concinna et crebra; dictio autem dilucida et civilis, quae quam clarissime explicet materiam. Quemadmodum enim animo scriptoris metas posuimus, dicendi libertatem et veritatem: ita et linguae illius seu dictioni scopus unus primus, dilucide explicare, et clarissime rem declarare, neque obscuris et remotis ab usu nominibus, neque hisce de media turba et de caupona sumptis, sed talibus, quae vulgus intelligere, eruditi laudare possint. Sed tamen figuris quoque ornata sit dictio, non importunis, et quae vel minimum videantur quaesitae: alioqui, offis per nimia condimenta corruptis, similem orationem ostendit* [2]. Stili leges ex Luciano.

Multa alia et praeclara de historico stilo traduntur praecepta: quae huc videntur recidere; ut conciones, si quae sunt, non fiant semper circuitione illa oratoris propria, sed brevius rem proponant versentque gravius, et interdum vel homines vehementius inflamment, vel adversarios punctim ac caesim validioribus argumentis aggrediantur; ut descriptiones nec puerili luxu frigeant, nec nimia brevitate ac tenuitate siccae sint et exsangues; ut sententiae seu ἀποφθέγματα ipsis verbis, quae adhibentur, acumen vel prudentiam prae se ferant; tandem ut singulae historiae partes colore illo inducantur, qui maxime cuique rei conveniat: nam sicut tota historia pure emendate et eleganter scribi debet; ita eius singula membra vario, pro rerum natura, stili genere exarentur, oportet. Alia praecepta.

Sunt qui poëticum stilum in historia requirunt. Qua de re Quatenus sti-

1) Lib. V. Fam. Epist. 12.—2) πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν.

lus erit poëticus. iterum audiendus est Lucianus. *Atque mens quidem historici participet aliquid adsciscatque sibi poëtices, quatenus magna et ipsam eloqui et erigere se oporteat, praesertim quando aciebus et pugnis et navalibus praeliis implicatur: opus enim tunc erit poëtico quodam spiritu, qui secundo flatu vela impleat, celsamque per summos fluctus navim perferat: dictio autem nihilominus humi incedat, quae simul cum pulchritudine dicendorum et magnitudine attollatur, et, quantum licet, illis exaequetur: interim in peregrinitatem non exeat, neque ultra quam opportunum est, spiritu efferatur. Tunc enim maximum periculum est, ne insaniat pracepsque in poëticum furorem incidat. Itaque tum imprimis obtemperandum est habenis, et sobrietati studendum, cogitantibus magnum etiam in oratione vitium esse nimium et fastuosum equitandi studium. Optimum igitur tum fuerit, uti mentem velut equo vectam pedestri cursu comitetur elocutio, prehenso ephippio, ne ab impetu equi destituatur* [1]).

Cautio adhibenda.

Affectus in Historia. Atque haec paullo fortasse longiora ideo attulimus, ut quorumdam errorem praeverteremus; qui cum semel audierint historiae stilum ad poëticum accedere, nec scirent qua in re et quatenus, mirum quantum in tricas se coniecerint. Est quidem affectu quodam scribenda historia, ut res quasque propriis non lineamentis modo sed coloribus quoque effingat atque lectorum animos excitet ac delectet; sed abstinere debet ab iis stili artibus, quae vel proprio dicendi generi minus conveniunt, vel rerum veritati officere possunt. Atque ita intelligendus est ipse Plutarchus qui: *Is*, inquit, *optimus historiae scriptor habetur, qui narrationem personis, animoque movendo aptatis figuris ita conformat, ut picturam referat* [2]).

§ IV.

De illustrium virorum Vita

Scriptoris studium. In illustrium virorum vitis, quas recentiores novo vocabulo biographias vocant, describendis maius, quam solet, studium est collocandum. Nam si quid utilitatis ex historia capitur, capitur autem plurimum, ex illustrium hominum vitis colligitur

1) l. c. — 2) De glor. Ath.

potissimum: cum enim in iisdem expressam sapientis probique viri imaginem intueamur, *Reputamns animo*, inquit Plutarchus, *qualis quisque et quantus fuerit, et quae praecipua sunt cognituque pulcherrima ex rebus eorum gestis excerpimus* [1]). Quare ipse Plutarchus affirmat se cum, ut aliis morem gereret, vitas scribendas suscepisset primum, sua deinde voluntate in laboriosa opera perstitisse, ut proprio consuleret emolumento. Vitae utilitas.

Iam vita hominum alia est privata, alia publica; alia ingenio optimisque disciplinis, alia virtute et sanctitate imprimis celebratur. Quare tria quatuorve vitae genera distingui videntur: sed tamen haec unius vitae partes saepe esse possunt, diversa genera esse non possunt. Cum enim ad singularem cuiusque hominis institutionem scribatur vita, privatos maxime mores persequi debet scriptor, eaque omnia, quae interiorem animi conditionem produnt, diligenter explicare: quare optime Muretus: *Qui vitam alicuius scribit, qualis quisque domi fuerit, qualis in uxorem, qualis in liberos, in familiares, in hospites, quo victu et cultu corporis usus sit, accurate ac diligenter exponit: qui historiam, haec omnia aut praetermittit, aut in accessionis loco, quasi aliud agens, strictim et modice attingit: ea tantum ex instituto persequitur, quae ad publicum pertinent* [2]). Clarius etiam Plutarchus, qui hac in re magister esse debet, illustriores ac maximas res a Nicia et a Crasso gestas praeteriens, *Praecipue quidem*, inquit, *quae ingenium et motus illius viri sub calamitatibus multis et magnis reconditos detegant, perstringam; quae indolem eius et mores ob oculos ponant, tradam* [3]). Videtis igitur quam inconsulto recentiores quidam vel de privatis hominibus non vitam sed historiam se scribere profitentur. At Plutarchus, etiam cum summorum imperatorum vitam scribit, negat se historiam scribere: *Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους.* [4]) Verum cum quis ex occasione vitae egregii viri describendae certorum temporum narrationem cum eiusdem viri rebus coniungit, non est summopere culpandus, si opus suum historiam inscribit. Vitae materies. Mens Plutarchi.

Ut in illustrium virorum laudibus optimum oratorem aut poëtam volumus; ita in eorumdem vitis conscribendis non tam Qui scriptor esse debet?

1) Paul. Aemil.—2) Vol.II.Orat. XIII.—3) Nicias.—4) Alexander — V. *Mascardi*, Arte Istorica. Trat. I. c. 3.

eloquentem hominem, quam magna omnis virtutis et pietatis cum doctrina tum etiam experientia praeditum desideramus. Talis enim noster scriptor esse debet, qui non solum de universis virtutis et religionis officiis optimus sit cognitor; sed qui, omnium etiam animi motuum intelligens et bonus vel minimarum ad mores pertinentium rerum aestimator, aequum de iisdem iudicium ferre possit. Quare etsi propriam vitam scribere interdum liceat, ut errandi causam aliis mox scripturis praeripiamus; tamen difficile est non solum recte de nobis iudicare, sed vel imprimis fidem aliis facere. Diligens quoque et patiens esse debet vitae auctor: requiritur enim summa diligentia in colligendis rerum omnium memoriis, quae ad eum, cuius vita scribitur, quoquo modo spectant a): parvae enim res optimam viri imaginem plerumque exprimunt.

Distributio rerum in partes et capita.

Cum, undique iam conquisita materia, ad vitam scribendam accedimus, primum omnium quid potissimum in toto vitae cursu emicat, multum commentabimur; deinde totius operis corpus in congruas sibi partes dividemus. Tenenda enim est obvia illa narrationis series, in qua rerum et temporis ordo servatur, ut primum referantur ea, quae vitam forte antecesserint; tum illa quae acciderunt in vita; postremo, quae mortem sunt consecuta. Sed non de hac partitione sermo est: at de toto vitae cursu: hic autem ita dividi potest, ut, integra rerum et tempo-

a) Se poi debbo dire ancor di me alcuna cosa: Mia usanza è sempre stata, di non gittarmi a prender la penna per lasciare in memoria verun de' tanti, de' quali ho scritto, tra nelle istorie della Compagnia, e nelle lor vite da sè, prima di leggere con pazientissima diligenza quanto v'era possibile a rinvenire dell'attenentesi ai fatti loro: e ciò non correndo coll'occhio, come a null'altro fine, che d'apparecchiare e compartir la materia di che valermi: ma per istabilir meco stesso di tutta intera la vita e delle parti d'essa e della più o meno perfezione di questa e di quella virtù, quel più fedele e adeguato giudicio, che *ex allegatis et probatis*, come suol dirsi, mi parea da formarsi. Perciò sempre col pensiero inteso a riscontrar fra loro le cose e venirle esaminando in qualità di giudice, prima che di scrittore. Così soddisfatto a me stesso, mi costituiva in mente la misura allo scriverne per modo che fossi certo di non far io un originale da me, ma un ritratto: cui è fallo inescusabile così il farlo migliore, come peggiore del naturale: perocchè tanto non riesce vero nell'uno, come nell'altro. *Bartoli*, Vita del C. Bellarmino, lib. I. cap. 1.

rum serie, vel varias humanae vitae partes, vel diversos eiusdem status, vel alia atque alia hominum officia et munera complectatur. Atque haec tria divisionis genera videntur mihi hac in re maxime usurpanda: quippe quae omnia, quae in aliquo vitae gradu vel imitari possumus vel debemus effugere, uno exemplorum complexu proponunt. Numerus vero et natura partium ac capita, in quae illae sint dividendae, ab ipsa materia suggerentur: non enim excogitandae sunt partes, quae rerum defectu vel aliis non respondeant vel inutilibus impleantur narratiunculis. Virtutes etiam possunt totius vitae partitionem suppeditare; sed tunc melius perpetua quadam et summa rerum vitaeque narratio praecedit.

Ordo textusque Vitae.

Constitutis iam partibus, rerum monumenta, quae ad singulas pertinent, in propria capita sunt revocanda: atque tum demum aggrediemur narrationem. In qua, nullo ut plurimum exordio, a die natali ad viri obitum historiam continenter persequemur: ita ut vel congruis solum transitionibus ab una ad aliam vitae partem accedamus; vel non solum partes sed partium etiam capita proponamus; utraque enim methodus optima habet exempla.

Hominum imago exprimenda.

Quibus rebus id efficitur?

Unicum vero et perpetuum scriptoris studium erit fidelem et plenam hominum imaginem suis coloribus exprimere: hoc enim illi tandem est proprium, ut accuratam totius hominis, quem describit, effigiem repraesentet. Quae imago non maximis quibusque rebus, sed minimis plerumque effingitur: nam animi indoles habitusque levibus quibusdam parvisque indiciis maxime proditur; ab improviso scilicet dicto, vel responso, a tenui quadam actione, a quotidianis et communibus cuique operibus. Quare quae in historia reprehenditur, nimia minutarum rerum diligentia, in vita conscribenda summopere laudatur. Immo officii sui munus ignorat scriptor, si minimas quasque res negligit: lectores vero iudicii perversitate laborant, si illarum rerum narrationem fastidiunt, vel parvi penduut eo quod non facta solum, sed modus, tempus, occasio, et cetera adiuncta describantur. Haec enim omnia religioso viro et huiusmodi rerum perito plurimam praebent non modo admirationis sed imitationis occasionem, ac veram, uti diximus, hominis imaginem claris pinguut coloribus.

Plutarchi sententia.

Vidit hanc rem vel ipse Plutarchus: quare initio vitae Alexandri scribit: Οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάν-

τως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδία τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησεν μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται, καὶ πολιορκίαι πόλεων. Ὥσπερ οὖν οἱ ζωγράφοι τὰς ὁμοιότητας ἀπὸ τοῦ προσώπου, καὶ περὶ τὴν ὄψιν, οἷς ἐμφαίνεται τὸ ἦθος, ἀναλαμβάνουσιν, ἐλάχιστα τῶν λοιπῶν μέρων φροντίζοντες. οὕτως ἡμῖν δοτέον εἰς τὰ τῆς ψυχῆς σημεῖα μᾶλλον ἐνδύεσθαι, καὶ δία τούτων εἰδοποιεῖν τὸν ἑκάστου βίον, ἐάσαντας ἑτέροις τὰ μεγέθη καὶ τοὺς ἀγῶνας.

Neque in praeclarissimis actionibus omnino inest manifestatio virtutis aut malitiae, sed plerumque parva res et verbum et ludus aliquis morum demonstrationem praebent magis, quam pugnae infinitos homines caedentes,et maximi acierum ordines, et urbium obsidiones. Sicut igitur pictores a facie et ab iis, quae circa visum sunt, ex quibus indoles apparet, similitudines accipiunt, minimum ceteras partes curantes; sic nobis dandum est in animae signa ingredi, et per ea cuiusque vitam repraesentare, permittentes aliis res maximas et pugnas [1]).

Minuta diligentia.

Atque haec minuta diligentia excurrere debet ad quamlibet vitae rationem: *Nulla enim*, ait Cicero, *vitae pars neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus; neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque colendo sita vitae est honestas omnis, et in negligendo turpitudo* [2]). Verum hic etiam adhibendum est iudicium, ne aut superflua aut inutilia scribantur: *Omnino autem,* inquit I. Capitolinus, *rerum vilium aut nulla scribenda sunt, aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animadverti, qui revera sciendi sunt, ut ex iis cetera colligantur* [3]).

Quid in vitiosis?

Sed si quae vitia sunt narranda, turpe esset ad minuta quaeque descendere: satis est rei genus aperire et cursim inde transmittere; nec unquam cunctanter ac putide singula proprie describere, quasi velimus nullam eius improbitatis particulam lectorem praeterire. Quae autem mira sunt, vel ad miracula spectant, referenda quidem omnino sunt; sed tamen maximo cum iudicio et consilio sunt admittenda, nec ad ea narranda ni-

1) V. Cic. I. Off. XL. I.—2) I. Off. II.—3) In Opilio.

mio studio ferri debemus: non enim miracula, sed bene institutae vitae exempla potissimum sunt describenda, ut eadem conemur.

Ornamenta.

Ethopoeiae in hoc scriptionis genere maxime sunt propriae; descriptiones nec crebrae nec longae; digressiones vero ut plurimum importunae. Quare nullo modo sunt ferendi, qui, prout rei cuiuslibet mentio fiat, modo de gentis origine, modo de urbis historia, qua de collegio, qua de pia aliqua sodalitate, nunc de rerum publicarum statu, nunc de innumeris aliis rebus longe lateque enarrant: ita ut si auferrentur ea omnia, quae ad vitam non pertinent, saepe minima libri pars reliqua foret. Sed non erat his locus: Κεντεῖ πρὸς νύσσαν. Fateor equidem digressionem interdum necessariam esse; sed ea a rerum intelligentia postulatur a); non obtruditur a describendi voluptate, qua feruntur nonnulli, praesertim qui non vitam, sed vitae historiam se scribere iactitant.

Morum documenta.

Morum quoque et virtutum documenta fere solum oblique sunt insinuanda: debemus nimirum, ut de Historia monet Strada, sincere et continenter enarrare, ac malle tacite instruere, quam praecepta luce palam atque ambitiose tradere. Imitabimur itaque praesertim Nepotem, qui tanto studio lucem et dignitatem honestis et praeclaris illustrium virorum actionibus ipso narrationis cursu afferre nititur, ut non eorumdem scribere vitam, sed unice lectorum fructum quaerere videatur. Verum quantum stili elegantia et gratia praestat Nepos, tantum in perfecta vitae scribendae specie antecellit Plutarchus.

Scribendi ratio.

Nos tamen versabimus optima Italorum exemplaria, ex quibus discere possumus maxime stilum: qui hac in re debet esse

a) Io mi farò alcune volte lecito di fare come di sè medesimo S. Gregorio Pontefice disse, a somiglianza de' fiumi, che ove incontrino alcun basso vuoto, a lato delle loro vie, senza arrestare il diritto lor corso che tengono, si divertono a riempierlo, e passano oltre. Converrammi, dico, ove necessità il richiegga, fare alcuna digressione, senza però tormi di via fuor del suggetto principale, che ho per le mani. Le cetere, disse S. Agostino, non si compongono solamente di corde, che sono la parte che in esse ha voce, e armonia. Havvene di molte altre, le quali, se si prendon da sè, son mutole e sorde, ma poichè sostengono e legan le corde, ancor esse sono in un medesimo corpo musiche e sonore. *Bartoli* — Vit. di S. Ignazio, Prefaz.

purus, proprius, simplex: erit autem tenuis vel mediocris aut interdum gravis, prout res et locus postulabit. Duo vero commendanda sunt potissimum: primum, ut brevitas ametur, ne librorum mole a legendo homines deterreantur, priventurque maximo illo fructu, quem ex Sanctorum caelitum praesertim exemplis colligerent: alterum, ut cultiori scribendi ratione alliciantur animi, retineanturque quadam etiam stili delectatione capti. In quo eo magis nobis est laborandum, quod multi huiusmodi libri dicuntur scripti inconsiderate [1]).

Scriptores probatissimi. Neque vero in vitis conscribendis probabilem stili rationem comparare difficilis res est. Habemus enim, ut ceteros nunc mittam, Veterum Patrum vitas, quas tam pure tamque eleganter interpretatus est Cavalca: habemus vitam Beati Colombini, quam optimo dicendi genere exaravit Feo Belcari: habemus plurium Sanctorum gesta a Daniele Bartoli admirabili stili gratia descripta: habemus et excellentium pictorum characteres a Georgio Vasari tanta elegantia expressos, ut Ioseph Parinius eorum studium vehementer commendaret. Optimi etiam hac in re putantur Cellini, Maffei, Mariani, Cesari.

§ V.

De reliquis historicis scriptionibus

Ephemerides privatae. Ad historiam pertinent primum ephemerides, seu libri, in quibus res gestae per singulos dies scribuntur, et *diaria*, aut *acta diurna* etiam vocantur. Ephemerides aliae sunt privatae, aliae publicae. Privatae, quae *adversaria*, *commentarii*, *calendaria* dicta olim sunt, pro varia cuiusque vitae ratione et diverso rerum usu in varia genera dividuntur [2]): sed utpote quae privatae sunt, certis praeceptis non possunt circumscribi. Earum tamen notitiae, maxime post scriptoris mortem, multum historiae possunt inservire. Quod percommode cadit, cum, ut est optandum, Principes ipsi, duces, et qui in republica versantur, vel per se vel per alios diurna huiusmodi acta conscribunt.

Ephemerides publicae seu acta diurna. Publicae ephemerides *acta diurna*, vel *acta* absolute olim dicebantur: alia senatus erant, alia populi, uti apparet ex Svetonio, qui et originem tradit: *Inito honore, primus omnium* (Caesar)

1) V. Cic. I. Tuscul. III. — 2) V. *Mascard*, Art. Ist. Trat. I. c. 3.

instituit, ut tam senatus, quam populi diurna acta conficerentur et publicarentur [1]). In actis populi continebantur res rationesque populi, iudicia, supplicia, comitia, aedificia, nativitates et mortes, matrimonia, alia: in actis vero senatus erat perscriptum quidquid in senatu agebatur, decernebaturque, imo ipsa magistratuum consilia, ipsi oratorum sermones: quod patet maxime ex dialogo, vulgo C. Taciti, de oratoribus: *Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et antiquorum bibliothecis adhuc manent, et nunc maxime a Muciano contrahuntur; ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris, et tribus Epistolarum composita et edita sunt. Ex his intelligi potest Cn. Pompeium et Marcum Crassum non viribus modo et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse: Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse; nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine eloquentia consecutum.* [2]) Scribebantur autem veterum acta maiori, quam a nostris diligentia delectu et auctoritate: quare multam eamque certiorem materiam historiae suppeditabant [3]).

Recentiorum Ephemerides.

Recentiorum publicae ephemerides in politicas et litterarias commode dividuntur: illae antiqua senatus et populi simul acta imitantes latius praepositam materiam versant, et quidquid in civili republica agitur, persequuntur: alterae in re tantum litteraria occupantur, atque vel quidquid in scientiis, in litteris, in artibus est actum inventum aut perfectum, vulgant; vel, fine eruditis digno hominibus constituto, ipsas scientias litteras atque artes continenti novarum scriptionum serie explicant, augent, illustrant, atque in omnium hominum bonum disseminant [4]).

Politicae Ephemerides.

Politicae ephemerides aliae a viris per rempublicam constitutis scribuntur, et saltem cum reipublicae acta referunt multo sunt in pretio: aliae, quae, ubi libertas seu licentia scribendi viget, sunt infinitae, a privatis hominibus, vel partium studio, vel proposito alicunde stipendio, vel lucri solum cupiditate, vel tandem, quod est rarissimum, communi hominum bono exarantur. Priores, quae sunt paucae, Principum, ut par est, con-

1) In Iul. Caes. XX. 2) N. XXXVII. 3) V. *Andres*, Vol. III. P. II. c. I. n. 28. 4) V. *Andres*, loc. cit. n. 66.

silio et prudentia reguntur: alterae iam iudicatae sunt ab iis, qui id maxime potuerunt [1]). Nos illud meminimus, eas plerumque conscribi ab hominibus, qui nulla religione, nulla morum cognitione, nulla virtutum et vitiorum scientia, nulla privati et publici iuris notitia, nulla publicarum rerum experientia, in maximo omnium animi perturbationum aestu, de religione, de moribus, de virtutibus, de republica, deque omnibus civium iuribus et officiis non solum disputant, sed tanquam ex tripode pronuntiant, omnes res gestas perperam interpretantur, omnia consilia uti machinationes habent, in ipsum conscientiae sanctuarium irrumpunt, atque,cum nullo alio modo veritatem pervertere possunt, ad apertas calumnias et putidissima mendacia abripiuntur. Enimvero non desunt, qui bonis solum artibus magno animo multoque labore optimam causam agunt. Sed prae infinita stultorum multitudine, quam pauci sunt! quam exigui fructus spe laborant! cum veritatis et iustitiae una sit via; improbitatis et mendacii pene infinitae!

Earum ars et finis.

Iam plurimarum ephemeridum nulla est ars: pessimarum enim rerum propria sunt solum mendacia, calumniae, fraus, insidiae, doli mali. Sed qui studeat tot pravorum hominum sermonibus et scriptis strenue occurrere, is immensam illam rerum supellectilem, quae in tanto negotio est necessaria, primum diligenter sibi comparet; deinde quae sunt certa et fructuosa, solum narret aut explicet, atque relinquat coniecturas resque inanes; tandem aliquid singillatim sibi praestituat, quod factis ipsis obtinere enitetur, idque tam solerti diligentia, ut dum solum narrare, et lectorum sciendi cupiditatem implere videtur, scholam quamdam sapientiae et virtutis habeat: exemplorum enim disciplina et plurima vi pollet, et omnium mentium captui est accommodata.

Indulgendum Lectoribus.

Saepe tamen lectorum ingenio est indulgendum, et ea sunt narranda, quae omitti poterant: nam scriptor prudens uti debet his crepundiis veluti ornamentis et lenociniis quibusdam ad animos hominum alliciendos. Datur etiam ephemeridum scriptori, ut in narrationibus ad minuta quaeque descendat, et in descriptionibus floridum adhibeat stilum: quamquam in quibusdam rebus amarem gravitatem, in aliis ingenuam quamdam festivitatem, in omnibus, sin minus

1) V. *Civiltà Cattolica*, An. I. *Programma* — An. II. vol. IV. pag. 285 e seqq. et alibi.

semper elegantem, certe puram nitidam ac perspicuam dicendi rationem.

Litterariarum ephemeridum scriptori alterutrum proponi potest: vel quae in dies scientiis et bonis artibus fiunt accessiones, et varia ad studium incitamenta fideliter omnibus significare; vel publicam quamdam et maxime communem religionis, morum, et civilis culturae scholam omni appositarum scriptionum genere instituere. Prioris naturae scriptores non conficiunt nisi rerum indices: quare ad eorum opus duo praesertim afferant; diligentiam nimirum in rebus colligendis, et in iisdem eligendis iudicium. Utiles profecto sunt singularum rerum ephemerides: sed ubi doctiorum hominum florent societates, curandum est, ut quoniam scientiae artesque omnes communi quadam cognatione et vinculo continentur, simul etiam cuiusque incrementa prodeant. Duo enim sequentur commoda: ut ephemerides magis magisque vulgentur; ut ad quaelibet rerum studia paullatim accendantur animi. Litterariarum genus primum.

Sed qui alterius generis ephemerides aggrediuntur, maiora quaedam afferre debent: atque imprimis animum cum ab omni partium studio vacuum, tum sincero veritatis, religionis, virtutis, et civium boni amore succensum; deinde maximam rerum divinarum ac humanarum scientiam, theologiam, philosophiam universam, historiam, eloquentiam; postremo exquisitam morum animorumque cognitionem, et industrem quorumlibet lectorum mentes subeundi artem. Quae omnia eo magis sunt expectanda, quod eiusmodi opera non a singulis viris, sed a delecta sapientiorum hominum manu suscipiantur. Ad materiem quod pertinet, cogitent auctores universam quidem rerum institutionem ab ipsis requiri; sed ita tamen, ut et quae sunt necessaria solum tractentur, et non uno veluti impetu, at per succrescentes quosdam gradus proponantur. Atque hac in re potissimum elucere debet scriptorum prudentia et industria: nam quemadmodum adolescentes, ita etiam populi prudenti methodo gradatim sunt educandi. Non multum igitur refert utrum novae an veteres sint doctrinae; sed ut nova saltem tradendi ratione, novis artis industriis, nova et omnium ingenio accommodata tractatione disserantur. Genus alterum.

De stilo harum ephemeridum nihil fere addendum est iis omnibus, quae de scriptionibus didascalicis traduntur: nisi quod maior etiam perspicuitas, maior elegantia et ornatus, maior Utriusque stilus.

gratia et lepor requiritur. Nolim autem omnino inurbanos quorumdam iocos imitari, nolim iniuriosos et plebeios respondendi modos, nolim nimium invehendi impetum exprimere; ne tetra harum rerum caligine ipsa veritatis et virtutis lux infuscetur.

Fasti Varii. Historiarum interitum vel scriptorum negligentiam compensare aliquando possunt non solum Acta, de quibus nuper locuti sumus, sed etiam Fasti et Annales. Fasti ab Actis in eo differunt, quod Acta res omnes publice a senatu et a magistratibus gestas narrant, ac significant tum leges decreta et iussa, tum ea omnia quae ad rempublicam pertinentia quocumque modo aguntur, licet minima: contra, Fasti res tantum illustres et maximas memoriae mandant, ac continent solum ea, quae ad Principes, Dictatores, Consulesque pertinent, item bella, victorias, triumphos, et quae sunt talia. Praeterea Fasti ad Inscriptiones proprie spectant: quare alibi sunt explicandi, ubi, quemadmodum veteres in magistratuum fastos et in triumphales partiri videntur, ita nostri in sacros, urbanos, et municipales commode dividuntur [1]).

Quid Annales? Fastos commemorasse videtur Tullius, cum ait: *Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cuius rei, memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum romanarum usque ad P. Mucium, Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; qui etiam nunc annales maximi nominantur* [2]). More Pontificis Maximi multi scripserunt illos, qui proprie Annales vocantur: quod ibidem tradit idem Tullius, qui et stilum eorumdem declarat: *Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt* [3]). Itaque annales sunt libri, in quibus perscribitur quid quoque anno accidat in republica, res gestae tum belli tum pacis, victoriae, triumphi, honores et praemia, templorum dedicationes, consulum ceterorumque magistratuum nomina, atque omnia quae maiori memoria videntur digna. Differunt autem ab *Actis* rerum nobilitate et continuo temporum ordine [4]): a *Fastis* materia, copia textuque orationis: ab

1) V. Morc. V. I. p. 202. V. II. p.120.—2) II. Orat.XII.—3) Ibid.
4) V. Tacit. Ann XIII.31.

Historia minuta temporum serie, nuda factorum expositione, et brevi rerum narratione: historia enim fusius res narrat, affert causas, describit loca, interponit conciones, aliaque longe lateque persequitur, quae in annalibus nullum vel angustum admodum locum habent [1]. Ceterum annales, qui a Gellio dicuntur esse *cum res gestae plurium annorum, observato cuiusque anni ordine, deinceps componuntur* [2], si veterrimos excipias saepe sunt ipsa historia maiori temporum ordine descripta. Quare si annales veterum exemplo scribuntur, puro et simplici stilo, nullo artis colore, exarantur; sed prout ab antiqua illa forma recedunt, tanto maiora artis et stili ornamenta admittunt, quanto ad historiam propius accedunt. Saepe sunt ipsa Historia.

Annalibus gemina sunt Chronica, quae non sunt miscenda cum libris chronicis, seu cronologiis: differunt autem ab annalibus, quod hi commemorant quid quoque anno in una gente contigerit; chronica vero plurium gentium res certo temporum ordine exponunt. Verum saepissime, auctorum modestia, appellantur chronica ipsae religiosorum Ordinum plus minusve probabiles historiae. Quare, quaecumque tandem sint chronica, iis, quas superius recensuimus, legibus continentur. Quid Chronica?

Memoria apud veteres pro ipsis litteris, historiis, et monumentis usurpabatur: quare inter officia domus Augustae fuit Magister Memoriae, qui praeerat illis, a quibus perscribebantur quaecumque memoria digna erant in imperii administratione: de his vero rebus commentarii conficiebantur, quos propterea *memoriam*, aut *sacram memoriam* vocabant. Sed nunc Memoriae sunt scripta, in quibus auctor non omnia alicuius temporis facta, sed ea potissimum referenda suscipit, quae aut ipse maxime cognovit, aut ad alicuius viri vel rei gestae historiam conscribendam vel illustrandam plurimum conferre possunt. Huius autem generis scripta praeter veritatem rerum et narrationis utilitatem, ceteras historiae virtutes non requirunt; singula quaeque persequi possunt, imo debent; et familiari quadam dicendi ratione, quae interdum animi ardore feratur, contenta sunt. Quid Memoriae?

Nolim tamen his scriptoribus nimium indulgere in stilo: multa enim quae hominum incuria putantur superflua vel difficilia, saepe et facilia sunt et necessaria. Optimum, ut mihi videtur, Caesaris Commentarii.

1) V. *Mascardi*, Trat. I.c.3.—2) Noct. Att. lib. V. c. 18.

memoriarum exemplum esse possunt Caesaris Commentarii: qui ab ephemeridum usu fortasse profecti ad absolutissimas memorias succreverunt, ac tanta stili pulchritudine sunt descripti, ut nihil habere possint gratius, nihil elegantius. Quare Tullius: *Atque etiam commentarios quosdam scripsit* (Caesar) *rerum suarum, valde quidem inquam, probandos: nudi enim sunt recti et venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste, detracto. Sed dum voluit, alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam; ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit* [1]).

CAPUT III.

DE INSCRIPTIONIBUS

Latine ne an vernacule scribendae?

De Inscriptionibus verba facturo primum omnium occurrit mihi quaestio illa: latine ne an vernacule exarandae sint modo inscriptiones. Ego vero ut nec omnes nec forte plurimas latine scribendas censeo; sic quae latine, quae vernacule scribi debeant, hic non definio: nihil enim dicerem, quo melius aliquid scriptori non suppeditent vel res ipsae et tempora, vel locus et persŏnae. Ceterum in hac quaestione plurimum Alexandro Paravia a) nunc assentiens, ea praecepta generatim persequar,

1) Cic. De Clar. Orat. LXXV.

a) Io credo che latine si debban porre le inscrizioni nell'interno delle chiese per riverenza a quella Religione, che in latino celebra i suoi riti, e in latino innalza le sue preghiere. Ma dico nell'interno delle chiese; perocchè quanto all'inscrizione esteriore, che si suol mettere sulla porta di esse in occasione di qualche festività o di qualche esequie; sì come con quella inscrizione s'invita il popolo a entrare, bene è che sappia per che ragione egli entra; e poi, se volete da lui un ricordo, una lagrima, e ciò che più importa, una preghiera, come volete che egli vi esaudisca, se non v'intende? Vorrei similmente che latine fossero le inscrizioni, che si pongono non pur nel tempio di Dio, ma in quello altresì della scienza; ciò sono le univesità, le accademie, i licei... Desidererei altresì che le inscrizioni latine si adoperassero per le grandi epoche storiche, per quegli uomini e per que' fatti, che non ristretti per la loro celebrità all' an-

quae a sapientioribus viris communia fere habentur. Itaque pene ex uno egregio Morcellii opere [1]), quod omnibus, qui hac in re aliquid sapere volunt, maxime commendatum volumus, quatuor potissimum breviter perscribam: primo inscriptionum naturam et distributionem ; deinde ordinem textumque inscriptionum , quae suo certo genere sunt constitutae ; tum earum, quae perspicuitatis gratia extra statuta genera a Morcellio tractantur ; tandem regulas inscriptionum communes. Ne vero praecepta, quod videmus in recentiorum Rhetoricis, sint omnino ieiuna, ac nihil propterea hac in re prosint, aliqua addam exempla, in obviis praesertim rebus: imo et vernacula quae occurrant, interdum subiiciam, ut a latinis discrimen mature pateat, et regulae iisdem, rebus apte variatis, accommodentur. Latinae enim inscriptiones earumque praecepta ad optimas etiam inscriptiones italice scribendas nobis usui esse debent. Enimvero Petrus Giordani, qui, si excipias illam verae virtutis et religionis interdum negligentiam, ac maledica eius acumina, quae propter saepe friget, magis probabiles inscriptiones adhuc exaravit, ex Morcellii, cuius legum fuit tenacissimus, fontibus sua hausisse saepe fatetur [2]).

Praecepta ex Morcellio.

Exemplis firmanda.

§ I.

De Inscriptionum Natura et Distributione

Inscriptio, praeter cetera, duo imprimis significat : titulum , qui est in fronte libri (*Intitolazione*); et epigramma (*Inscrizione*) quod templis, statuis, columnis, sepulcris, et aliis huiusmodi inscribi solet. Altera hac significatione hic de inscriptio-

Varia inscriptionis significatio.

gusto circolo di un paese, e gli uni e gli altri si possono diro Europei... Tuttavia si come anche con queste inscrizioni prima a'vicini bisogna pensare e poscia a'lontani, prima a'concittadini e poscia agli stranieri; io loderei che queste inscrizioni altresì, le quali si posson veramente dire storiche e monumentali, fossero scritte in due lingue, la latina cioè e quella del paese. *Paravia*, Epigr. Volg. lez. II. — V. la lez. I.

1) De stilo Inscript. Latin.—2) V. *Franc. Orioli*, Discorso intorno l'epigrafi italiane.—*P.R. Notari* Trattato dell'Epigr. Lat. ed Ital. *Ediz.* 1836.— *Pier Ales. Paravia* dell'Epigr. Volg. Lez. Accademiche.

ne disserimus, quae Graecis est ἐπιγράφη vel ἐπίγραμμα, idque apud eosdem tum in scriptis, tum in lapidibus usurpatur. Quamquam vero *Inscriptio* usitatius nomen sit, tamen frequentissime apud Latinos invenies *Titulum*: nam certum est titulum inscriptionem esse, notam, indicem, ellogium, quibus res dignoscitur, et quid valeat, quid contineat, cuius sit, monstratur: ut titulus sepulcri, aedium, statuae, libri, picturae, alius. Sed nihilominus titulus adhibetur praesertim pro inscriptionibus sepulcralibus; quibus etiam nomen est Epitaphium, Monumentum, Memoria, Memoriola, Mensa. Generaliores voces sunt Lapis, et Marmor. Tabulae erant, in quibus nomina scribebantur vel pingebantur: inscriptio statuarum vel imaginum vocabatur Index.

Varia inscriptionum nomina.

Quid est inscriptio?

Inscriptionis materies longe lateque patet: nulla enim res est, quae inscriptione non possit comprehendi. Quare difficile est inscriptionem accurata definitione complecti. Sed tamen potest inscriptio ita describi, ut sit: Brevis oratio, qua paucis iisque appositis verbis aliquo monumento insculpta personas aut rerum eventus, resque commemoratione dignas posterorum admirationi et memoriae commendamus. Quae definitio perennium inscriptionum est propria; sed facile temporariis accommodari potest, quae non posteros sed praesentes respiciunt a).

Christianae inscriptionis natura.

Nostrarum inscriptionum natura et indoles caelesti Christianae Religionis continetur spiritu; maxime qua praesens et futura vita simul spectantur, nec unquam vel minimum separari possunt. Atque hic spiritus, qui ab italicis praesertim inscriptionibus, quae seculi XVI. ingenio sunt conditae, saepissime abest, cum ab ipsis syllabarum apicibus eminere, tum non tantum ex phrasium et sententiarum natura, quam ex omnium rerum complexu efflorescere debet. Hoc universe de omnibus inscriptionibus: nec vero quaeritur, ut titulus quisque sit schola virtutis aut religionis; sed ut appareat Christianusne, an ethnicus, an atheus sit, cui titulus est positus. In funebri autem inscriptione haec morum et virtutis doctrina plurimum, et quidem aperte vigeat b).

a) Io non crederò di male appormi, se in generale io definisco la inscrizione: Una breve scrittura impressa per memoria di qualche persona o di qualche fatto. *Paravia*, Epig. Volg. lez. I.

b) Io so che la inscrizione dovrebbe essere da se sola un docu-

Quare fontes seu loci huius scribendi generis proprii sunt cognoscendi. Fontes autem alii sunt rerum et sententiarum; alii dictionum et formularum. Rerum et sententiarum fontes, sive latine sive italice scribis, sunt: primum sacer rituum christianorum liber, et generatim universa liturgia, quae, uti experienti patere potest, mirabiles sententias et adfectus suppeditat: tum Sacrae Litterae, si audentiores quasdam Orientis translationes excipias: scripta tandem sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiae. Veteres Christianorum inscriptiones praeclarissimae sunt, sed ob temporum illorum calamitatem et breves sunt, et paucae: quare exemplo esse possunt: rerum copiam suppeditare nequeunt. Rerum loci.

Dictionum ac formularum fontes ac locos, pro pigris nimium forte diligenter, collegit Morcellius libro tertio: idem melius pro inscriptionibus, quae ad sex genera revocat, adsignavit etiam universim Tullium, Caesarem, Nepotem, Livium: pro temporariis, si communi stilo non scribuntur, ostendit praesertim poëtas illos, qui aurea Augusti aetate floruerunt, imprimisque Catullum et Horatium: pro nummariis Cornelium Tacitum: pro titulis rerum privarum Publium Syrum et Publium Terentium: pro poëticis inscriptionibus unam graecorum epigrammatum ἀνθολογίαν [1]). Itaque, si lubet, omnem latinam Dictionum fontes.

mento di civile sapienza e di morale virtù, senza che fosse duopo impregnarla di riflessioni e sentenze... Ma perchè le inscrizioni potessero sempre porgere questa, che io direi istruzione diretta, bisognerebbe che non fossero poste che agli uomini degni, bisognerebbe che fosse anche tra noi quella legge del severo Licurgo, che vietava di scriver versi sulle urne dei cittadini privi di merito... Ma per ciò appunto che le inscrizioni, così spesso profuse a chi meno le merita, non ci possono sempre dare quella istruzione diretta che vi diceva, duopo è che ce la diano indiretta; e la daranno quantunque volte contengano riflessioni e sentenze di tal virtù. che si stampino nell'animo del leggitore al modo stesso, stava per dire, che impresse son sulla pietra. Nè già intendo con ciò, che la inscrizione esser debba una filatessa di massime all'uso degli Orientali; basta che ve ne sia una, ma soda, ma vera, ma efficace, ma breve, che tenga quasi dell'epigramma, come facevano i Greci, nella cui Antologia le inscrizioni vanno a fascio cogli epigrammi. *Paravia*, Epig. vol. lez. III.

1) V. Morcelli v. III. P. II.

inscriptionem scribere possumus; maxime si adiungas Morcellio Morcelliana Schiassii et Ferruccii *lexica*, in quibus omnia inscriptionum auxilia habes.

Italicae inscriptiones. Quod non est ita pro italicis inscriptionibus, quae vel copiam vel auctoritatem exemplorum adhuc desiderant. Sed tamen pro his praecipui dictionum et formularum fontes ac loci esse possunt Ricordanus Malespini, Dinus Compagni, Ioannes Villani, Barptolemaeus a Concordio, Bernardus Davanzati, Paullus Segneri. Plurima praeterea exprimere possumus ex Aligherio, Petrarca, ceterisque Italicae poëseos principibus: sed multo opus est iudicio, ut videamus quo loco et quatenus id licebit [1]. Iuvat vero, ad privatum usum, ex omnibus probatis scriptoribus dictiones et formulas quasdam, maxime quae in frequentioribus inscriptionibus adhiberi possunt, diligenter excerpere, ac ordine iuxta Morcellianas divisiones, quoad fieri potest, digerere [2].

Inscriptionum divisio. Difficilius est aptam inscriptionum divisionem proponere: obstat enim rerum varietas, et dispares hac in re sunt auctorum sententiae. Nos distributionem a Morcellio traditam ideo amplectimur, ut viri auctoritate nunc utamur. Ceterum Morcellii divisio optimis rationibus nititur: siquidem inscriptiones ita distribuit, ut ab usu earum et a causa locum singula suum, et proprias sedes habeant: id autem etiam pro opportunitate stili maximi est faciendum.

Sex genera. Sex ergo, ut fere Morcellii verbis loquar, si constituantur inscriptionum genera, nulla omnino erit vaga. Nam genus primum, quod *Sacrarum* appellabitur, cum dedicationes et donaria tum vota et monumenta omnia sacrorum comprehendet. Alterum, quod est *Honorariarum*, omnes continebit, quae honorem cuique habitum demonstrent; sive imperatores hi fuerint, sive consules aut praesides aut ordinum ductores aut ministri sacrorum; sive denique viri sive feminae, vel gratia illustres, vel liberalitate, vel rebus gestis. In tertio, quod *Epitaphiis* tribuetur, viros item cuiusque ordinis, dignitatis, religionis; tum feminas, et pueros puellasque; ipsas etiam familias, sodalitatesque omnes numerabimus. In quarto, quod *Historicarum Inscriptionum* dices, fastis locus erit et consularibus inscriptionibus fere omnibus; operum publicorum privatorumque titu-

1) V. *Notari*, P. IV. cap. 7. — 2) V. *Notari*, P. III. cap 5.

lis, legatis, donationibus, venditionibus,et iis quae sunt buiusmodi. Ad quintum genus *Ellogia* spectabunt, sive magistratuum, sive hominum privatorum, sive etiam feminarum. In sexto, quod *Constitutiones Publicas* complectetur, leges habebis et edicta et senatus consulta et decreta municipiorum: tum foedera quoque et hospitia, rescripta et diplomata; tandem mensurarum et ponderum inscriptiones, collegiorum sive sodalitatum decreta et acta.

Mixti generis appendices quatuor.

Facile ex superiore partitione quaelibet inscriptio ad suum genus referetur: ceterum quasi generum quorumdam ampliorum seu mixtorum spectari possunt appendices quatuor. Quarum prima inscriptiones quascumque temporarias complectitur: Altera omnis generis nummarias: Tertia vero titulos omnes rerum privarum: Quarta denique quidquid in quolibet fere genere versibus constat. Haec ad verbum fere Morcellius [1]): atque universa haec inscriptionum divisio tenenda etiam vel maxime in italica lingua, quae potius pauciora membra postularet. Non enim probarem eorum consilium, qui cum Notario, viro harum profecto rerum perito et studioso, inscriptionem in alia atque alia membra conciderent, quae neque satis propriis praeceptis, neque, quod caput est, optimis exemplis confirmari possint: cum tamen omnia praecepta, si quid valeant, ex probatis id exemplaribus obtinent.

Unde petenda latina exempla.

Omnia, quae censuimus, genera inscriptionum praeclara apud veteres habent exempla, quae ut in latinis pangendis imitari, sic in italicis conficiendis inscriptionibus ad nostra deducere debemus; nec intemperantis ingenii aestu temere ferri. Quare ii libri praeferendi sunt, qui republica incolumi aut Augusto Principe scripti sunt: illius etiam aetatis inscriptiones, si quid sapimus, optimas putabimus. Paucae quidem sunt: sed paucitatem hanc supplet numerus earum inscriptionum, quae ab Octaviano Augusto ad Philippos Augustos confectae sunt.In aliis enim offendimur nota illa se abiicientis populi, quo nihil a Romanorum sermone abhorret magis: offendimur vel ipsis ampullis, et tot sesquipedalibus verbis, inani sono acuta nec tamen gravi subiecta sententia: offendimur etiam in plerisque barbarorum et σολοίκων passim dispersione. Si quae vero ex illis senescentis latinitatis seculis seligi fortasse possunt in-

1) De Stil. Inscript. lib. I. Προλ. §. II.

scriptiones, id doctiorum iudicio est relinquendum, non tironibus, qui certis terminis tuto vagari debent.

§ II.

De ordine textuque sex generum Inscriptionum

Quid titulus Deo positus?

Distinguendus est primum titulus Deo, Caelitibusve positus, ab iis, quae dicuntur monumenta sacrorum. Titulus Deo vel Caelitibus positus est inscriptio ea, quae aut templum aramve dicatam, aut vota suscepta vel reddita, aut donum aliquod datum consecratumve cum aliqua saltem cultus significatione declarat. Sacrae Domus non solum Deo sed etiam Sanctis aedificantur et dedicantur, nec vero vota ipsa Sanctis Caelitibus soluta minus recte dicuntur: sed Altaria Deo uni dicari certum est.

Eius leges.

Dei vel Caelitis nomen praecedit, sequuntur apposita vel quasi apposita, ac omnia dativo efferuntur, nisi interdum praemittantur illa: ***Honori, Sacrum, D. O. M. Sacrum, Numini. Aeterno. Sacrum, In. Honorem. Caelitis. N.*** Tum adscribuntur ii qui dedicant et causa, si est,vel contra: tandem nota temporis, quae, si insignis est, initio etiam ponitùr; si ex rerum adiunctis cognoscitur, interdum omittitur. Sub finem sunt formulae consuetae et impensae: ad latera vel inferius saepe scribuntur precationes, vel dies quo sacrum faciendum est Numini, vel quid simile.

(Molliani in agro Firmano)

DEO . OPTIMO . MAXIMO . SACRVM
IN . HONOREM.MARIAE . VIRGINIS . SIDERIBVS . RECEPTAE
ORDO . POPVLVSQVE . MOLLIANENSIS
TEMPLUM . A . MAIORIBVS . OB . DEPVLSAM
PESTILITATEM . EX . VOTO . CONSECRATVM
VT . FREQVENTIAE . MVNICIPVM
ET . STATIS . SVPPLICATIONIBVS . AVGVSTIVS . PATERET
PECVNIA . PVBLICA . ET . OMNIVM . SODALITATVM
NOVA . FORMA . REFICIENDVM . LAXANDVMQVE
CVRAVIT
DEDIC . VII . IDVS . IVN . AN . M . DCC . LXXIIII.

(Morcelli, V. IV. p. 6.)

(pro statuae basi)

FRANCISCO . XAVERIO
APOSTOLO
SOSPITATORI . ORIENTIS
QVOD . CAELO . RECEPTVS
CIVITATEM . QVAM . LVES . POPVLABATVR
PRAESENTI . OPE . RESPEXERIT
ET . APPELLENTE . AB . SANCIANO . NAVI . QVAE . SACRVM
CORPVS . EIVS . MENSE . POST . MORTEM . QVINTO
INTEGRVM . RECENSQVE . ADVEHEBAT
SECVRITATEM . CIVIBVS . SALVTEMQVE
REDDIDERIT
ORDO . ET . POPVLVS . MALACENSIS
CONSERVATORI . PATRIAE
(M. IV. 15.)

(pro lychnucho pensili)

MARIAE . REDVCI
ET . ANGELIS . CAELESTIBVS . TVTELARIBVS
ANTONIA . LAVR . F . CLAVDIANA
PRO . REDITV . PAVLLI . AMERINI . CONIVGIS
ET . IVSTI . FILII
VOTVM . ANIMO . LIBENS . SOLVIT
(M. IV. 4.)

Monumenta sacrorum ea sunt, in quibus, narrantis ritu, rerum sacrarum, quaecumque sint, vel causa vel ordo memoriae proditur. Eiusmodi sunt primo Leges dedicationum; secundo Indices supplicationum votorumque sollemnium; tertio Kalendaria. Horum omnium leges, quae plus variae, quam difficiles sunt, ex probatis maxime exemplis peti debent: sed Kalendaria vide in Morcellio [1]). Monumenta sacrorum.

1) Vol. IV. p. 33. — Vol. V. p. 31.

(in agro Cremon.)

INDVLGENTIA
PII . VI . PONT . MAX.
DATVM . EST
QVI . DIE . NATALI . IOANNIS . BAPTISTAE
RITE . EXPIATI . SANCTA . DE . ALTARI
LIBAVERINT
VTI . AEDEM . EIVS . SINGVLI
RELIGIONIS . CAVSSA . SVBEVNTES
ADMISSORVM . POENA . OMNI . ABSOLVTI
QVOTANNIS . RECEDANT

(M. V. 35.)

(pro aedicula solo privato)

ALOISIO . GONZAGAE . ET . STANISLAO . KOSTKAE
PATRONIS . CAELESTIBVS . SALVTARIBVS
CVLTORES . EORVM
CLYPEA . EX . AERE . INAVRATA
NOSTRA . IMPENSA . POSVIMVS
ET . HAC . LEGE . DEDICAVIMVS
VT . NE . CVI . AMOVERE . TOLLERE
ALIOVE . EA . LOCO
ADFIGERE . LICEAT
VTIQVE . DIE . NATALI . VTRIVSQVE
FLORIBVS . ORNENTVR . AMBO
ET · CEREI . BILIBRES . DVO . AD . EA
ACCENSI . IN . DIEM . LVCEANT
VOS
CAELITES . SANCTI . NOVENSILES
QVI . HANC . VRBEM . HAS . SEDES . INCOLVISTIS
PRECAMVR · QVAESVMVSQVE
VT . ITA . NOBIS . VOLENTES . PROPITII
ADSITIS
RESQVE . NOSTRAS . BENE . IVVETIS
SI . OPIS . VESTRAE
NON . ALIENAE . LAVDIS . PROMERENDAE . CAVSSA
HOC . VOBIS . DEDIMVS
DONVM

(M. IV. 20.)

(pro pila marmorea ad aedem sacram)

KAL . SEPTEMBR.
PIO . VI . PONTIFICE . MAXIMO
ANNO . M . DCC . LXXXVI.
QVOD . TERRA . DIES . AMPLIVS . QVINQVAGINTA . MOVISSET
LABESQVE . MVLTIS
LOCIS . FACTAE . ESSENT . EIVS . REI . ERGO . SENATVS . CEN-
SVIT . IEIVNIVM
MARIAE . ADIVTRICI . ANTE . NATALEM . EIVS . INSTITVEN-
DVM . QVOD
SERVARETVR.QVOTANNIS.VOTO.SVSCEPTO . IN. ANNVM.CEN-
TESIMVM . SI . TELLVS QVIESSET
(M. IV. 30.)

Luigia F. Del Conte Pietro Verri
V. Di Giuseppe Confalonieri Patrizio Milanese
Alzò Questo Tempio
Perchè Del Caro E Virtuoso Marito
Fosse Raccomandata a Dio L'Anima
E Agli Uomini La Memoria
MDCCCXXVIII.
(P. Giordani.)

Giulia Noli
Liberata Da Grave Infermità
Dedicò
A Dio Onnipotente
In Onore
Di S. Caterina Vergine E Martire
(Manuzzi.)

Leges inscriptionum Honorariarum.

In honorariis inscriptionibus, nisi interdum praeponatur vocabulum *Honori* cum genitivo, communior ratio est, ut honoratorum nomina primo versu, nec alio casu quam dativo, efferantur. Succedunt honores et munera ea lege, quae melior videbitur: tum laus praecipua, seu apposita, quae ultimo etiam versu recte collocantur. Facienda est etiam mentio eorum, quo-

rum impensa decreto vel studio honor habitus est, ac, si de civitate agitur, singuli ordines cum suis appositis sunt censendi. Denique si privati homines honorantur, adscribendum a quibus datus sit locus. Additur quoque nota temporis, annus et dies dedicationis, epulum, sportularum divisio. Si feminae primariae honorandae sint, eaedem leges erunt, nisi quod earum honores fere a viris, parentibus, filiis, maioribns petendi sunt.

(Terracinae in aedibus Vitellior.)

PIO . VI . PONT . MAX.
PROPAGATORI . AGRORVM . LOCVPLETATORI . CIVIVM
OPTIMO . PRINCIPI
AD . MEMORIAM . OPTATISSIMI . ADVENTVS
ANNO . M . DCC . LXXX.
QVVM . HISCE . IN . AEDIBVS . APRILI . MENSE
DIES . QVATVORDECIM . HOSPITATVS . EST
DOMVS . VITELLIORVM
NOBILITATA . ET . AVCTA
OMNI . INDVLGENTIA . ET . LIBERALITATE
EIVS

(M. IV. 60.)

(Romae ad Pantheon)

PETRO . METASTASIO
CIVI . ROMANO
PRINCIPI . ITALICI . DRAMATIS
IOANNES . MARIA . RIMINALDVS
FERRARIENSIS . PRESB . CARDINALIS
ANNO . M . DCC . LXXXVII.
NE . VIRO . VBIQVE . GENTIVM . CLARISSIMO
HONOR . IN . PATRIA . DEESSET

(M. V. p. 62.)

(Sotto il busto del Galileo)

Galileo
Che Più D'Ogni Altro Dotasti Il Mondo
Di Nobilissimi E Fecondi Veri
E Più D'Ogni Altro Per Amor Del Vero
Dall'Ignoranza E Dall'Invidia Patisti
Finirà La Tua Gloria
Quando Il Genere Umano
Cessi Di Vedere Il Sole Ed Abitare La Terra
(P. Giordani.)

A Carlo Goldoni Veneto
Principe Della Commedia Italiana
Fecero Affettuosi E Riverenti Questa Memoria
Alquanti Veneziani
Perchè Di Tanto Onore Ed Esempio
Lasciatoci Da Quell'Unico Maestro
Più Glorioso Che Fortunato
Non Paresse Sconoscente Tutta L'Italia
MDCCCXXI
(P. Giordani.)

Partim honorariis, partim temporariis inscriptionibus adscribuntur recentiores librorum dedicationes, et volatiles illi tituli, quos maxime oderat Morcellius, quique chartis tantum impressi, ubi quis magistratum aut curationem, aut quid aliud adeptus sit, alii atque alii sparguntur in vulgus. Res quidem ridicula est : scribuntur enim tituli, qui nulli unquam monumento sunt inscribendi. Sed interdum indulgendum tempori, cui obsecutus est olim ipse Morcellius.

Huc pertinent dedicationes librorum et tituli vacui.

(Tibure ob disputationem)

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT
HONORIS . OFFICIIQVE . CAVSSA
GREGORIO . SCIP . F . CLARAMONTIO
EX . DECVRIONIBVS . CAESENATIVM
PONTIFICI . TIBVRTIVM
ADLECTO . INTER . ANTISTITES . DOMVS . PONT . MAX.
ADSTATORI . AD . SOLIVM
CVIVS . OPE . CONSILIOQVE
INGENIA . CIVIVM . VIGENT
LITTERAE . ATQVE . ARTES . IN . SPEM . VETERIS
GLORIAE . FLORESCVNT
IACOBVS . ALOIS . DEC . F . LOLLIVS
IN . CONSESSV . SPLENDIDISSIMI . ORDINIS
AD . EXPERIMENTA . PHYSICAE . LOGICAEQVE
DOCTRINAE . PVBLICANDA
LECTAS . SOPHORVM . SENTENTIAS
CORAM . PRAESENTI . PRAESENS . OBFERT
SEQVE . DEDICAT
OPTIMO . PATRONO

(M. V. p.271.)

Le Benedizioni Di Quel Signore
Che Fa Santi Gli Affetti
E Venerande Le Nozze
Ti Accompagnino All'Altare
O Marietta Graziani
Che Ti Leghi Oggi Per Fede Maritale
Al Valoroso Giovane
Bar. Attilio Bandiera
Le Virtù Del Tuo Animo
E Le Grazie Della Tua Persona
Infiorino i Giorni Del Padre E Dell' Avola Tua
I Quali Con Le Affettuose Loro Sollecitudini
Ti Apparecchiarono A Sì Invidiata Ventura

(Pier-Ales. Paravia.)

§ III.

Sequitur ordo textusque sex generum Inscriptionum

Nemo est, qui nunc epitaphium non condiderit. Sed multa eaque vitiosa hac in re occurrit varietas. Veteres fere primum extulere nomina casu nunc recto, nunc patrio, saepius dativo: Nominibus adscribebantur honores, sacerdotia, munera : laudes tum defunctorum uno alterove apposito complectebantur. Vita autem et res gestae raro et breviter narrantur, idque interdum ab ipso defuncto. Adiiciebatur nota temporis et vitae anni, auctores monumenti, salutationes, sententiae, precationes. Praeterea in Feminarum epitaphiis placuerunt nomina diminuta, laudum copia, et diligens munerum expositio: in Pueris vero Puellisque emicant teneri affectus, maxime per apostrophem, laudes a gratia a forma a moribus a doctrina ab ingenio; tum magnae parentum doloris significationes. Tandem sepulcra communia habent ipsa propria epitaphia, quae a ceteris simplicitate et certis quibusdam formulis clausulisque distinguuntur, et pro rerum varietate varie ex probatis exemplis sunt exprimenda. Epitaphiorum Regulae

(Claris)

A ☧ Ω

HEIC . ADQVIESCIT
ANTONIVS . ANDR . F . ANDREIVS
PATER . LIBERORVM . QVINQVE
PIETATIS . STVDIO . REI . FAMILIARIS . CVRA
SEDVLITATE . OFFICIORVM .
AMOREM . CIVIVM . ET . LAVDEM . EMERITVS
ANNOS . NATVM . LVIII.
ANDREAS . FILIVS . SVPERSTES . DEFLEVIT . AMISSVM
V . NON . MART . AN . M . DCCC . XVIIII.
AVE . PARENS . DESIDERATISSIME
PAX . TIBI . ET . GAVDIA . CAELESTIVM

(M. IV. p. 367.)

(In fin. Mant.)

CINERIBVS . ET . MEMORIAE
IACOBI . FRANC . F . ACERBI
VIRI . REGIONIS . ATQVE . VICINITATIS . SVAE
EXISTIMATIONE . ET . VIRTVTE . PRINCIPIS
ADLECTI . INTER . IVRIS . CONSVLTOS
OMNIBVS . HONORIBVS
ET . MVNERIBVS . INTECRE . FVNCTI
QVEM . INGENIVM . AD . OMNIA . VERSATILE
ET . RERVM . VRBANARVM . RVSTICARVMQVE . SCIENTIA
PATRIAE . PERVTILEM . REDDIDERE
PIVS . VIXIT . ANN . LXXX . MENS . VI.
INVICTO . A . CVPIDITATIBVS . ANIMO
NVLLA · MOLESTIA . FRACTVS
COMITATE . ET . LEPORE . CARVS . CVIQVE
DEC . PR . NON . IVL . AN . M . DCCC . XI.
FVNERE . EIVS . PLVRIMIS
CIVIVM . LACRIMIS . HONESTATO
MARIAMNE . RIVA . CONTRA . VOTVM . SVPERSTES
MARITO . INCOMPARABILI
FILI . VIIII. PATRI . OPTIMO . DESIDERATISSIMO
FAC . CVR.
AVE . MAGNA . ANIMA . DECVS . LVMENQVE . NOSTRVM
ET . VALE . IN . PACE . ☧

(M. V. 142.)

(Tibure in Templo Max.)

A ☧ Ω

IVLIO . MATTHAEO . NATALI
EX . INS . CORSICA . DOMO . OLETTA
VIRO . ANTIQVAE . VIRTVTIS
AB . IPSA . ADOLESCENTIA
FRVGI . ABSTINENTI . DOCTO
CVIVS . CONSILIO
GRAVES . SAEPE . CONTROVERSIAE
IN . VRBE . DIREMPTAE
CONCORDIA . CAESENAE . PARTA . EST
VICE . SACRA . ANTISTITE . RELIGIONVM
PER . SABINOS
PONTIFICI . TIBVRTIVM
ANNOS . XVII.
AVCTORI . PIETATIS
RESTITVTORI . ET . LOCVPLETATORI
AEDIVM . SACRARVM
ALTORI . EGENORVM
QVI . VIXIT . ANNOS . LXXVIIII . M . VIII . D . XXVII.
DECESSIT . VI . KAL . SEPTEMBR.
ANNO . M . DCC . LXXXII.
COLLEGIVM . CANONICORVM.
BENE . MERENTI
CVM . LACRIMIS . POSVIT

(M. IV. 96.)

(Brixiae)

MAGDALENE . HEIC . SVM . PITOZZII . VXSOR
QVAE . LIBEROS . LAETA . LVBENSQVE
EDVCAVI
CVM . IPSO. CONIVGE
PROBOS . OBSEQVENTES . RELIQVI
EADEM . EGENORVM . IMMEMOR . NVNQVAM
GRATA . PARENTIBVS
QVI . MIHI . PIETATE . PRAEIVERVNT
DECESSI . IN . PACE . ☧ NONIS . MAIIS
ANNO . M . DCCC . XVII.
AVETE . FILII . SVAVISSIMI. ET . VALETE
VOS . MANEO . APVD . CAELESTES

(M. V.175.)

(Brixiae)

LACRIMVLAM . TIBI . HOSPES . HABETO
RITE . EGO . LOTVS . EVOLAVI . AD . SVPEROS
XIIII . KAL . IANVAR.
BENE . MATRI . PRECATVS
QVOD . VRBE . BELLI . METV . TREPIDANTE
ME . SEPTIMO . LVNAE . CVRSV
MATVRVM . CAELO . EDIDISSET
AT . HEIC . EXVVIAS . MEAS . COMPOSVIT
MARTINENGVS . PATER
QVVM . VIXISSEM . HORAS . V.

(M. V. 176.)

(Brixiae)

OCTAVILLA . M . FLAVIANI . F.
ANNOR . XV
HEIC . SITA . EST
DELICIVM . DOMITILLÆ . MATRIS
SOLACIVM . EVNICES . AVIAE
QVAE . INGENIVM . ACRE
FORMAM . PRAECLARAM
ORNABAT . PIETATE . SINGVLARI
OTK . ΑΠΕΘΑΝΕ . ΤΟ . ΚΟΡΑΣΙΟΝ
ΑΛΛΑ . ΚΑΘΕΤΔΕΙ

(M. V. 177.)

A ☧ Ω

DOMVS . MORTALITATIS
CINERIBVS . ATQVE . OSSIBVS
REVICTVRIS

(M. IV. 121.)

(Romae)

ANTONIVS . RAPHAEL . MENGS
EQVES
LOCO . EMPTO
MONVMENTVM . FECIT
MARGARITAE . GVAZZIAE
VXORI . CARISSIMAE
BENE . MERENTI
ET . SIBI . LIBERIS
POSTERISQ . SVIS
ANNO . M . DCC . LXXIIII.
IN . FR . P . X . IN . REC . P . XII.

(M. V. 181.)

(Brixiae in templo Pacis)

OSSA . HEIC . SITA . SVNT
SODALIVM . PHILIPPIANORVM
QVI . PRIMI
BRIXIAE . CONVENERE
QVAE . HVC . TRANSLATA . VIII . ID . IANVAR.
ANNO . M . DCCC . VII.
EX . HYPOGEO . VETERIS . AEDIS . PACENSIS
VBI . PRIMITVS . CONDITA . REQVIEVERANT
VALETE . AVCTORES . ET . PARENTES . NOSTRI
VLTIMA . PROGENIES . VESTRA
AETERNAM . IN . ☧ PACEM . ADPRECAMVR

(M. V. 183.)

Qui Giace
Giovanni Bocchietti
Di Anni LXXII.
Uomo Benefico E Cristianissimo
Morto Lietamente
Il XIV. Di Ottobre Del MDCCCXXVI.
I Fratelli Bocchietti
Eredi Testamentari
Posero All'Avolo Benemerito
(Manuzzi.)

Stefano Di Andrea Galbetti
Cristiano E Cittadino Ottimo
Vissuto LXIIII. Anni
Più amato dagli uomini che dalla fortuna
Lasciando memoria durabile
E desiderio di se
Per quanto a salute della patria
E culto di questo santuario
Fece in tempi di calamità e di pericoli
Passò agli eterni premii della virtù
Il dì XVI Dic. MDCCCXXVI.
(P. Giordani.)

Quì è sepolta
Anna Grassalini Pisana
Pia Generosa Cortese
Visse Molto E XXV Anni Cieca
La Ricompensi L' Allegrezza Dell'Eterna Luce
Che Le Prega Da Dio Affettuosamente
La Figlia
Lisabetta Galeotti V. Tanciani Mini
MDCCCXXVIII.
(P. Giordani.)

Felicia
Nata Del Conte Giambattista Giovio
Vedova Del Marchese Carlo Porro Carcani
All'Unico Figlio Galeazzo
Vissuto XVII. A. II. M. IIII G.
Caro A Tutti Per L'Indole E Le Speranze
Troppo Maggiori Dell'Età
Morto La Notte De' XV Sett.
MDCCCXXI.
Oh Figlio Mio Oh Mio Unico Bene Perduto
In Che Lungo E Dolente Esilio Lasci La Tua Povera Madre
Finchè Io Ti Riabbia Dove Non Si Muore

(P. Giordani.)

Memoria
Di un vago Angioletto
Venuto in terra
A prendere il nome
Di Bebbino Vellori
E subito rivolato ai celesti
Il quinto di Aprile
MDCCCXXI.

(Muzzi.)

Addio lettore
Fui Alberto Manuzzi
Fanciullino di mesi VI ore VIII
Lacrimato dai miei genitori
Domenico e Maria
Il XVI di Ottobre MDCCCXXII
Addio caro Angioletto
Ti sovvenga di me

(Manuzzi.)

Qui Dorme
Nunziata Di Luigi Fossati
Fancellina Soavissima Dolcissima
Chiuse I Begli Occhi All'Alba del 20 Ag.
MDCCCXX
Visse X Anni Penò V Dì
Cara Angioletta
Il tuo zio paterno Andrea
T' invidia
L'esser presto e innocente fuggita
Dal reo mondo
Ma non sarà lieto mai più
Privo per sempre del tuo sorriso
Consolatore

(P. Giordani.)

Qui fu posta
Luisa Marini Milanese
Fanciullina
Di sembianze angeliche
Di maniere amabilissime
Fu ubbidiente fu caritatevole fu divota
E visse soli anni V
Morì nel giorno dello Spiritossanto
Del MDCCCXVI
Celso padre e Giovanna madre
P.
Dolentissimi

(Muzzi.)

Inscriptiones Historicae. Historicae inscriptiones non rerum celebrandarum, sed memoriae publicae retinendae causa solum scribuntur. Ad eas vero pertinent Fasti, Inscriptones operum publicorum, et Indices tum locorum publicorum privatorumve, tum eorum, quae legata donata vendita aut empta sunt.

Fasti alii urbani sive municipales, alii sacri nunc esse possunt: in illis principes, magistratus, et res, vel a pluribus vel ab uno gestae, breviter dilucide cum nota temporis et propriis cuiusque formulis recensentur: in aliis Pontifices unius Ecclesiae describuntur omnes, rebus,quas quisque gesserit,adiectis, et cum templorum conditoribus ac restitutoribus, tum rituum etiam municipalium dierumque festorum originibus indicatis. Fastis adnumerantur Indices decurionum atque sodalium. Quin fastorum forma scribuntur funesti quidam eventus ad posterorum lacrimas fugamque ciendam. Fastorum exempla pete a Morcellio, qui te docet non generales solum sed particulares esse fastos, quibus non longi temporis res, imo factum aliquod singulare ab uno Pontifice vel Principe gestum describas. Fasti.

Inscriptiones operum publicorum fere ab auctore operis incipiunt: succedunt tituli, magistratus, munera, ut in inscriptionibus honorariis: tum res seu opus, et laus aliqua; quamvis haec non semper. Verbum autem, quo aut suscepta cura, aut opus perfectum, aut sumptus facti indicantur, vix omittitur. Explicatur etiam qua pecunia, et cuius decreto titulus sit positus, sed nullae plerumque sunt clausulae: annus tamen et dedicationis dies, et curatores adscribuntur. Iudices locorum publicorum privatorumque geminam habent formam:aliam longiusculam atque ad normam inscriptionum confectam, quae operibus publicis praefigebatur: aliam contra brevem, nullisque magistratibus insignem; ut ad finium tantum locorumque discrimina posita videatur. Tandem Indices eorum, quae legata donata vendita aut empta sunt, pauca habent propria, nec fere abeunt a forma, qua operum publicorum inscriptiones conficiuntur. Primi autem plerumque inducuntur, a quibus res aut pecunia profecta est: excipiunt magistratus, munera, et raro apposita virtutis: tum res donata empta vendita, atque usus vel opus in quod quid datum legatumque sit. Inscriptiones operum publicorum. Indices locorum. Indices alii.

Ellogia non sunt confundenda cum inscriptionibus honorariis, quas aliqui qua Caelitum Sanctorum qua priscorum ducum imaginibus subscripserunt. Constat ellogium ideo inventum, ut posteri ad virtutem legendo excitentur: quare ut vitia aut quae recte facta non videntur, si qua forte offendas, dissimulanda ac praetermittenda sunt; ita ex ipsis virtutibus praeclarisque factis ea solum deligenda, quae eximia putantur, quaeque habent admirationem. Initium vero ellogii unum o- Ellogiorum series.

mnino erit; a nomine, quod recto casu erit usurpandum: deinde sanctis caelitibus, ut de his nunc loquar, sacerdotia muneraque adscribenda sunt, et si quis constitutor Collegiorum, aut familiae religiosae parens fuerit, non est omittendum: praecipue autem ea subiicienda cognomina, quae quisque a rebus gestis invenerit, efferendique tituli, quos quisque sibi laboribus et virtute pepererit. Post haec narratio incipiet, quae res gestas dilucide at breviter tamen complectetur: expositis factis, virtutes etiam commemorantur, quae praeclarissimae sint, atque appositis, quae virtutis praestantiam animique excellentiam extollant, distinctae. Sed illud cavendum maxime ne agnominationibus argutiisque utamur illis, in quibus neque veritatis multum inesse solet neque dignitatis. Extremis potissimum Elogii versibus de extraordinario honore mentio facienda est, si cui quis habitus sit: veteres addebant interdum quidquid etiam post mortem in clarorum virorum honorem publice factum esset [1]).

Constitutiones publicae. Constitutionum publicarum praecepta minus hodie videntur tradenda: iamdiu enim apud plerasque gentes, repudiato latini sermonis usu, quidquid publice edicitur, vernacula lingua, idque nulla propria forma, explicatur. Verum enim vero latino sermone usi sunt identidem atque utuntur non pauci, tametsi in argumento versantur fere non ita magno. Leges potissimum latinae et prope veteri stilo occurrunt in hortis, puta ad exhedras xystorum, in collegio poëtarum, vel eruditorum hominum, et frequentius etiam in bibliothecis: quin decreta etiam quandoque et leges invenies, a doctis hominibus nostrorum temporum conscriptas. Hoc in genere formularum magna est copia. Ordo autem textusque constitutionum publicarum facilis est, si habeantur prae oculis veterum exempla, tum partitiones, quas fecit Morcellius: nam hic non vacat omnia persequi. Morcellii partitiones sunt: Leges et Edicta, Senatusconsulta et Decreta civitatum, Tabulae foederum et hospitiorum, Rescripta et Diplomata Principum, Inscriptiones mensurarum et ponderum, Decreta et acta Collegiorum.

1) V. *Morc.* V. IV. p. 263.

(Vtinam missa)

IDIBVS . MARTIIS
ANNO . M . DCC . LXXXII.
VTINAE.IN.SCHOLAM.ORDINIS.CANONICI.FREQVENTES.QVVM
CONVENISSENT.VERBAQVE.FACTA.ESSENT.QVO.DIE.PIVS.VI
PONT . MAX . PARENSQVE . PVBLICVS . GERMANICAE . PRO-
FECTIONIS
CAVSSA . VTINAM . SVMMA . OMNIVM . ORDINVM . LAETITIA
INGRESSVS . ESSET . ET . IN . TEMPLVM . MAXIMVM . A . COL-
LEGIO . N.
DEDVCTVS . SACRO . ADFVISSET
VTI . MEMORIA . EIVS . DIEI . QVI . FVIT . III . ID . MART . ANNI
CHRISTIANI . M . DCC . LXXXII . LITTERIS . CONSIGNATA . PO-
STERIS
TRADERETVR
PLACVIT . VNIVERSIS . DECRETVM . DE . EA . RE . CONSCRIBI
IDQVE . SAXSO . INCISVM . AD . OPTATISSIMI . ADVENTVS
FAVSTITATEM . ET . NOSTRI . ORDINIS.TOTIVSQVE. CIVITATIS
RELIGIONEM . AC . STVDIVM . CELEBRANDVM . EODEM . IN
TEMPLO . FIGI . CENSVERVNT

(M. IV. p. 299.)

(Romae in museo Kircher.)

QVAE . DONO . DATA . COMPARATA . EMPTAVE . IN . MVSEVM
AD . HANC . DIEM . INLATA . DEDICATA . SVNT . QUAEQVE
POSTEA . INFERENTVR . DEDICABVNTVR . EA . OMNIA
COLLEGII . ROMANI . PRIVATA . PROPRIAQVE . IVRE
MANCIPII . SVNTO
SI . QVID . EORVM . QVIS . CLEPSERIT . AVT . DOLO . MALO
CORRVPERIT . VIOLARIT . HIC . SIBI . PONTIFICIS . MAXIMI
DECRETO . SACRIS . INTERDICTVM . SCIAT
CIVES . HOSPITESVE . QVICVMQVE . AMANT . LITTERAS
STATIS . DIEBVS . SPECTATVM . ADMITTVNTOR . IIDEM
QVVM . LIBVERIT . REDEVNTO
HIS.DESCRIBERE.QVAE.VELINT.ET.IN.CHARTIS.EFFINGERE
LICETO
MOVERE . QVID . ALIOVE . TRANSFERRE . NE . LICETO

(M. IV. 280.)

(pro agone litterario)

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT
TRIGINTA . PRIMI
E . SCHOLA . RHETORICA . COLL . ROM.
SI . CVI . COMMODVM . EST . INTERESSE
IDIBVS . AVGVSTIS
DISCIPLINARVM . LIBERALIVM . EXPERIMENTA
PVBLICABVNT

(M. IV. 285.)

(De Supp. edictum)

EX . PATRICIIS . VIRI . MATRONAEQVE
QVI . QVAEVE . IN . SVPPLICATIONEM
VENIENT . CVLTV . ET . HABITV
CVMPRIMIS . GRAVI . PRO . DIEI
MYSTERIIQVE . SANCTITATE .
SVB . NOCTEM . ADSVNTO . MODESTE
COMPOSITE . PROCEDVNTO . PATRIAE
RELIGIONEM . ET . PIETATEM . PRAESEFERVNTO

(Ferrari.)

§ IV.

De Inscriptionibus mixti generis

Inscriptiones temporariae sacrae.

Temporariarum inscriptionum aliae sunt sacrae Precationum Votorumque causa ; aliae ad festos apparatus atque pompas ; aliae funerum publicorum. Primae sic fere scribuntur, ut populus ipse aut omnes collegii sodales loquentes inducantur , quin tamen eos nomine appellari necesse sit : quippe eos vel locus ipse vel precationis verba designant. Ab ipsa autem Dei aut Caelitum invocatione fere exordimur , ac precationem aut voti formulam continuo subnectimus. Precationum vero votorumque materia sunt : in secundis adversisque rebus gratiae agendae, auxilium implorandum : tunc si princeps convaluerit, si prole auctus sit, si victoriam ab hoste retulerit : item si bella ingruant, si calamitas agris impendeat, si salus civitatis in discrimen vocetur. Addenda causa et quid petimus, quid pro-

mittimus subscribendum. Stilo opus est presso et aequali ; ut oratio et simplex et gravis sit, non sententiis arguta, non verbis sonans. Clausulae nullae : nam uno et perpetuo tenore carmen ab initio ad finem deducitur, idque breviter : ut praepositas tabulas perlecturi uno prope adspectu, quae vota publica sint, et ediscere et tenere possint.

(Mediolani)

SOLLEMNIA . IN . TRIDVVM
MARCELLINAE . VIRGINIS . SANCTISSIMAE
RELIQVIIS . EIVS
IN . FRATRIS . BEATISSIMI . TEMPLVM
INLATIS
QVORVM . PRAESIDIVM . CAELESTE
ECCLESIA . MEDIOLANENSIS
IMPLORAT

(M. V. p. 262.)

(ficti arg.)

QVOD . HODIE . VOVIMVS
LAVRENTI . SANCTE . MARTYRVM . FORTISSIME
NATVRAEQVE . POTENS
VT . LVE . DEPVLSA . AEGRAM . CIVITATEM
SOSPITATOR . LIBERES
TRISTISSIMO . PERICVLO
AST . TV . EA . ITA . FAXIS
TVNC . TIBI . IN . EADEM . VERBA
CIVITATIS . NOMINE
QVAE . NVNC . AEDES . IMMERITO · SQVALET
A . SOLO . RESTITVTAM
MARMOREAM . VOVEMVS
ESSE . FVTVRAM

(M. IV. 306.)

Festi apparatus, pompaeque sollemnes religionis pietatisque ergo saepe instituuntur, saepe ad publicas supplicationes habendas : interdum quoque laetitiae et gratulationis causa, quod parta ex hoste victoria ; quod claro civi honores singulares, aut summa imperii delata sit ; quod adventus Principis, regales nuptiae, reditus victoris exercitus, triumphi instar, celebrentur. Festi apparatus.

Id genus inscriptiones qua historicis qua honorariis similes sunt, nota temporis excepta, quae abest : stilo etiam magis ornato ducuntur. Huc enim laudes, huc gratulationes, huc vota precesque totius civitatis referuntur: sententiae usurpantur breves, verba electissima: numerosa vero ac proprior versui oratio.

(Claris)

MICHAELI
INVICTO . BELLIPOTENTI
PRINCIPI . CAELESTIVM
CVRIA . TERTIA . POPVLO . BIFARIAM . SVPPLICANTE
HONORES . ITERAT
IMPLORATISQVE . PRECIBVS VOTA . SOLVIT
(M. V. 268.)

(Ad effigiem martyris)

☧ AVE . SEVERINE . MARTYR
TVAM . TIBI . IMAGINEM
ANDREAE . CONTI . MERITO . DICAT . PIETAS
PATRONO . INVICTO . CAELESTI
QVANDO . ROMAE . ANAGNIAM . PRAEFERENS
HVC . AD . NOS . VOLENS . PROPITIVS
CYRIACAE . EX . ARENARIIS
IN . TEMPLVM . ANDREAE . APOST . LAETA . POMPA
CONCESSISTI
TE . IAM . IPSE . ET . DOMVS . TOTA
TE . ORDO . ET . POPVLVS . ANAGNINVS
STVDIO . COLET . SEMPITERNO
RELIQVIAE . TRANSLATAE . ANNO . M . DCC . LXXXI
(M. IV. 309.)

(Brixiae ad templ. max.)

SVCCEDE . AVGVSTE
☧ IVSTITIAE . VINDEX . AMOR . POPVLORVM
HEIC . TE . MANET . QVI . STATOR . REGNORVM . FVIT
REX . REGVM . CHRISTVS
QVOIVS . NVMINE . PRAESENTISSIMO
FAVTORES . RERVM . NOVARVM . A . TE . PERCVLSOS
PERDVELLIVM . EXERCITVS . FVSOS . CAPTOS
IN . DEDITIONEM . ACCEPTOS
PACEM . ET . SECVRITATEM . PVBLICAM
ITALIAE . EVROPAEQVE . REDDITAM . ESSE
CVRATORES . TEMPLO . PERFICIVNDO
CVM . CIVITATE . VNIVERSA . GRATVLATI
FAVSTA OMNIA . TIBI . ET . CONIVGI . AVGVSTAE
LIBERISQVE . BEATISSIMIS . ADPRECANTVR
(M. V. 276.)

Giorno Lieto A Noi
Glorioso A Maria Luigia
Che Dedicando Oggi Il Nuovo Ponte
Promette Continua Providenza
Al Suo Devoto Popolo Piacentino
(P. Giordani)

A Giulio Perticari
Filologo E Scrittore
Fra I Primi Di Questa Età
Morto Nel Fiore Della Vita
E Della Gloria
Gli Accademici Felsinei
Alla Memoria Del Collega Carissimo
Laudazioni E Compianto
(Muzzi.)

Funerum publicorum inscriptiones, quamvis communi stilo scribantur, tamen a communi forma recedere possunt, et plurimum dolori ac amori indulgere. Titulus, qui in templi fronte

Funera publica.

aut intra porticum supra portam maximam eminebit, communi stilo scribatur: sic nimirum ut defuncti nomen exhibeat et merita; tum eorum etiam nomina, qui iusta persolvunt, eorumdemque officium et ipsum animi moerorem et luctum significet, sed omnia brevissime. At subinde ceteris in titulis, qui ad feretrum aut ad parietes figentur, non res solum a defuncto gestas eiusque virtutes, sed varias etiam sententias et laudes et affectus concludere possumus. Quidam, ut totam defuncti vitam ordine complecterentur, breves veluti fastos confecere singulis picturis clypeisque plasticis subscribendos: sed fasti non omnibus defunctis convenient: quare, ut plurimum, alia sunt quaerenda ornamenta harum liberioris stili inscriptionum.

(Brixiae)

ADESTOTE . CIVES . EX OMNI . ORDINE
HODIE . PARENTALIA . SVNT . CIVIS . CLARISSIMI
VINCENTII . MARIAE . GIRELLI
COGNITORIS . IVDICIORVM . PVBLICORVM
QVEM . AEQVI . OBSERVANTISSIMVM
ET . MVNERIBVS . HONORIBVSQ . GESTIS . INSIGNEM
HEV . NOBIS . INOPINA . MORS . RAPVIT
PII . VOLENTES . BENE . DE . PATRIA . MERITVM
IVVATE . DEO . SVPPLICANTES
ANIMAEQVE . MAGNAE . PACEM . APVD . SVPEROS
PERPETVAM . ADPRECAMINI

(M. V. p. 287.)

(In Pompa Funebri Pii VI.)

(Romae in porta Flaminia)

AGITE . OBVIAM . FREQVENTES
VNDIQVE . OCCVRRITE . IN . FLAMINIAM
QVIRITES
REDDITVM . VRBI . CORPVS
PII . VI . PONT . MAX.
EFFERTVR
E . GALLIAE . FINIBVS
VOS . REDVCI . PACEM . AETERNAM
PRECAMINI . PARENTI . PVBLICO
MISCENTES . GAVDIA . FLETIBVS

(M. V. 278.)

(Ibid. in Vatic.)

REDI . SENECTA . BENE . CONDITA
O . PATER . ALME . CARO . SVCCEDE . TEMPLO
QVOD . ORNATV . GAVDET . TVO
PIO . GAVDE . IPSE . SVCCESSORE
QVEM . DEVS . OPTIMVS . MAXIMVS
SIMILEM . TVI . VOLENS . PROPITIVS
ORBI . CATHOLICO . RECTOREM . DEDIT
MONVMENTVM . CORPORIS . AD . QVIETEM
PARANT . SORORIS . FILII
ANIMAE . SANCTISSIMAE . PALMAM . EMERITAE
SEDEM . BEATAM . ET . HONORES . MAXIMOS
CAELESTES . TRIBVERVNT

(M. Ibid.)

(Modoetiae)

A)

HONORI . ET . VIRTVTI
KAR . ANTONII . CACCIALVPI
DOMO . TICINO
MAGISTRI . PIETATIS
PARENTALIA
COLLEGII . MODOETIENSIS

B)

MODERATORI . ANIMARVM
CVI . MAGNA . IN . OMNES . PROMERITA
PER . ANNOS . XXVI
CAELESTEM . PATRIAM . PEPERERE
ALVMNI . VNIVERSI
QVOS . AD . VIRTVTEM . INSTITVIT
SALVE . ET . VALE . ADCLAMANT

C)

FAVTORI . ARTIVM . BONARVM
QVI . PRAESTANS . INGENIO
DOCTRINA . CLARVS
IDEMQVE . CONSILIO . POTENS
DISCIPLINAS . OMNES . FOVIT . AVXIT
AMANTES . LITTERARVM
IVSTA . MOERENTES . SOLVVNT

D)

CVLTORI . RELIGIONIS
QVOIVS . VITAM . PERPETVO
INTEGRITAS . ET . INNOCENTIA . ORNARVNT
CAELICOLAE . OBVIAM . OCCVRRENTES
VICTOREM . INVITANT
ET . CONSORTI . PLAVDENT
AETERNAE . BEATITATIS

E)

SOLATORI . MISERORVM
VNVS . QVI . MVLTIS . VIXIT
ET . MVNIFICVS . ERGA . EGENOS
AFFLICTO . ET . IACENTI . PORREXIT . DEXTERAM
SEVERVS . SIBI . ALIIS . INDVLGENS
BONI . OMNES . BENE . MERENTI
PACEM . ADPRECANTVR

(M. V. 286.)

(Brixiae)

PIIS . MANIBVS
SODALIVM . NEPOMVCENIANORVM
QVOS . PVRGATORIVS . IGNIS
SIDERIBVS . INSERENDOS . EMVNDAT
SVPERSTITES . PACEM . CAELESTEM . ADPRECATI
SACRVM . ANNIVERSARIVM
EXPIATIONIS . CAVSSA . FACIMVS
PAR . OFFICIVM . A . POSTERIS
PRAESTOLANTES

(M. V. 283.)

Alle Care Anime
Dei vostri Genitori delle Mogli dei Figliuoli
Dei Fratelli e degli Amici
Venite O Cristiani
Ad implorar l'eterno riposo
I sepolcri che d'ogni intorno
Cingono questo Tempio
E dove in breve le vostre ceneri ancora
Saranno rinchiuse
Rammendandovi la brevità della vita
V'insegnano a fondar solo in Dio le vostre speranze

(M. B. Puoti)

O Signore delle misericordie
Esaudite le fervide supplicazioni
Che per l'anima dell'Avvocato
Francesco Lianteri
Professore di Eloq. latina nell'Ateneo Torinese
Vi porge oggi l'afflitta sua vedova
Con le orfane figliuolette
E in cambio della caduca gloria delle lettere
Che da acerba morte gli fu invidiata
Dategli quella o gran Dio
Che niuno può rapire e voi solo potete concedere

(Paravia)

A (*sopra la porta della Chiesa*)

Pietosi Vicentini
Questo E' Il XXX Giorno
Dalla Morte Acerba
Del Conte Pompeo Dal-Tofo.
Preghiamogli Il Cielo
Onoriamo La Cara Memoria

B (*Sul catafalco in faccia alla porta*)

Dagli Studi E Dai Costumi
Aveva Giusta Fiducia
Di Farsi Utile E Glorioso Cittadino

C (*rimpetto al maggiore altare*)

Dio Buono
Al Buon Giovane
Che Senza Querela
Ti Rinunciò La Presente Vita
Concedi L'Eterna

D (*da un lato del catafalco*)

Ti Ricorderanno Sempre
Gli Amici
E Bramerà La Patria
Che Ti Somiglino Molti

E (*dall'altro lato*)

Dio Pietoso
Compensa In Miglior Vita
Lo Smisurato Danno
E Il Dolore Non Consolabile
Degli Infelicissimi Genitori

(P. Giordani)

Inscriptiones Nummariae. Romani non solum nummos ementium commodo signabant, sed missilia etiam nomismata munusculorum causa cudebant. Idem apud nos nunc obtinet: nummorum enim alii ad res promercales usui sunt, alii in Caelitum, in Principum, in virorum etiam illustrium memoriam signantur. In nummorum inscriptione, quicumque illi sint, illud primum curandum, ut et num-

mi titulus cum eiusdem argumento, et frontis utriusque iuscriptiones inter se satis cohaereant. Tituli vero huiusmodi brevissimi, uti patet, ac omnino perspicui esse debent: in frontibus nummorum adversis est vultus Caelitis, Principis, vel eorum, quos honoramus, et ad oram nomen ac tituli quique perpetui: in aversis autem multa omnino eaque plane varia exprimuntur more Romanorum, quos imitabimur: in exergo seu spatio, quod est sub imagine, nota temporis vel annus Pontificatus, vel aliud congruum inscribitur.

(Inscript. nummorum aversae)
(Tituli ad eff. D. N. I. C. et Caelitum)

DEO . FILIO . CONSERVATORI
SERVATORI . ORBIS . TERRARVM
VIRGINI . DEI . PARENTI
MARIAE . SOSPITAE
VIRGINI . OPTIMAE . MAXIMAE
MICHAELI . DAEMONVM . MALORVM . POTENTI
CVSTODI . DEI . PVERI
DEFENSORI . PONTIFICIS . MAXIMI
CAELESTI . PATRONO
DEPVLSORI . PESTILITATIS
PROPVGNATORI VRBIS
CVSTODI . SALVTIS . AVG.

(V. M. IV. 321.)

Tituli rerum privarum.

Rerum privarum tituli breves omnino sunt et ternis aut quaternis verbis vix continentur. Eorum autem sententiae non aliae esse debent, quam quae vel amicitiam et humanitatem, vel religionem et pietatem prae se ferant: aut quae ad virtutem et decus excitent, vel ad concordiam, laetitiam, hilaritatem moveant: aut demum, quae tempus et locum notent, vel certorum hominum munia declarent, vel illustre factum et claros viros designent. Inscribuntur vero Anulis, ut:

DIU . TE . PATRIA . FRVATUR
MARIAE . EXORATAE . SACER . ESTO

Poculis ut:

FERIIS . IURGIA . AMOVETO, DEO . DUCE . FELICITER

Tesseris ut :

FUSCO . SINE . NOXA — COMMEATUS
PETENTI . DATUS . EST — KAL . OCT. AN. M. DCC. LXXVIII.

Lucernis vasisque fictilibus ut :

NATALI . CUSTODUM . VRBIS — LAETITIA . P. R.

Lateribus, et tegulis ut :

OP . FIGL . MARCI . TORELLI — PIO . VI . PONT . MAX.
MULTOS . ANNOS

Armis et instrumento bellico, ut :

DUELLA . IUSTA . IUSTE . GERUNTOR
VIM . INLATAM . VI . DEFENDO

Inscriptiones poëticae.

Poësi etiam erit interdum in inscriptionibus locus. Sed versibus fere exornamus, quae exilia sunt et minuta : tum ea, quae cum iterum ac tertio repetenda sunt, non possunt apte distingui, nisi mutata dictione : carmine autem quamdam venustatem acquirunt. Verum conandum, ut huiusmodi inscriptiones non poëticis solum numeris, sed verbis etiam et sententiis et ornatu omni insignes sint. Metro veteres usi sunt vario: Hexametris, elegiacis, hendecasyllabis, senariis : sed hexametri ellogiis et historicis inscriptionibus videntur aptissimi.

Funebres.

In exemplis multa sunt anomala : nos tamen poëtarum leges tenebimus. Epitaphia communes regulas servant : sed et poëtica ornamenta suscipiunt, et formulas etiam epitaphiorum communes initio et ad calcem nullis adstrictas poëticis numeris usurpant. Quin interdum carmina praecedunt, sequuntur formulae consuetae : interdum vero tota inscriptio communis est, sed epigrammate concluditur. Poëtica haec epitaphia feminis, puerisque propria fere assignari possunt.

D . M . S.

SVM . CASTAE . CINERVM . LAPIS . PVELLAE
CVSTOS . ME . RELEGENS . PIVS . VIATOR
HVIVS . COGNITA . SI . TIBI . FVISSET
VIRTVS . LACRIMVLIS . TVIS . RIGARES
EVODIAE . CYPARAE . AN . VI.

(Fabr. p. 64)

(ficti argumenti)



NISVS . PVER
H . S . E .
DOLOR . PARENTVM
FECERVNT . CLAVDIVS . VITELLIANVS
ET . ARTEMISIA . CVM . LACRIMIS
DELICIO
AVE . NISE . ET . VALE
OTIA . QVINQVENNIS . VITAE . SECVRA . TRAHEBAM
INNOCVAE . NISVS . QVEM . CITA . MORS . RAPVIT
AT . NE . FLETE . TAMEN . VITAE . SI . TEMPORA . PAVCA
PAVCA . ETIAM . VITAE . MI . MALA . CONTIGERVNT



VRSILLA . SOROR
HEIC . ACQVIESCIT
QVAE . IN . TRIMATV
ELATA . EST.

(M. IV. 337.)

Sacrae.

Historicae.
Ellogia.

Caelitum quoque tituli versibus scribi possunt, vel intercipi, vel absolvi: sed poëticae inscriptiones donariis maxime, tabulisque votivis, quae in templis figi solent, apprime conveniunt. Historicae inscriptiones tunc versibus conficiuntur melius, cum privatis hominibus ponuntur. In poëticis tandem ellogiis nulla lege vetamur, quin venusta quaeque sectemur, et omnes ipsis artis colores inducamus. Omnium optima poëticarum inscriptionum exempla habentur in graeca anthologia.

(pro Vrbe in clypeo votivo)

MARIAE . RESPICIENTI
SACRVM
SODALES . MARIALES
AN . M . DCC . LXXXXVII .
OBTVTVM . EIVS . TAMQVAM . VIVENTIS
IN . IMAGINE . CONTEMPLATI
TESTES . FACTI . DEDICAVERVNT
ALMA . PARENS . NOSTROS . CERTE . MISERATA . LABORES
DIC . NOS . CVR . PICTIS . RESPICIS . E . TABVLIS
PRODIGIVM . AVT . SERIS . DICTVRA . NEPOTIBVS . AETAS
FAC . IMPROVISO . GAVDEAT . AVXILIO

(M. V. 293.)

(Romae in tabulis Fr. Geron.)

PROBROSAM . MALIS . MACVLATAM . SORDIBVS
REPENTE . NVMEN . KATHARINAM . STRAVERAT
ADEST . FRANCISCVS . INCLAMATQVE . FVNCTAM . VBI . ES
RESPONSVM . MVLTIS . ILLA . SPECTANTIBVS
DAT . HOC . AETERNIS . TRADITA . VROR . IGNIBVS.

(M. V. 294.)

(Romae in Orphan. sub cur. Cast. Card.)

HVC . LARIBVS . VACVIS . PRIMO . CONCESSIMVS . AEVO
VTROQVE . IMPVBES . ORBA . PARENTE . MANVS
TV . PATER . ES . MISERAE . INVENTVS . TEQVE . AVSPICE MATREM
QVAERENTI . MAGNA . HEIC . VIRGO . REPERTA . PARENS

(Claris)

HONORI
HANNIBALI . BOCCHII . CLARENSIS
IN . COLLEGIVM . PRESBYTERORVM
COOPTATI
SACRVM . PRIMVM
FACIENTIS
AEQVALES . EIVS . SACERDOTES
VOTA . DEO . NVNCVPANTES
SALVE . O . PRAECLARO . PROLES . QVI . PRIMA . PARENTE
HANNIBAL . AD . NOSTROS . MAIOR . HONORE . REDIS
QVAE . DIO . CRESCVNT . ALTARIA . MVNERE . QVAEQVE
MACTATVR . PRONIS . HOSTIA . CAELITIBVS
PACATVRA . DEVM . POPVLVS . TIBI . DEBET . ET . AVCTO
LAETA . SACERDOTVM . CLARIA . TVRBA . CHORO
DEBEAT . ET . MVLTIS . PATRIAE . QVOD . FVLGEAT . ANNIS
HAEC . PROBITAS . MORES . HI . PVDOR . ET . PIETAS

(M. V. 298.)

§ V.

De regulis Inscriptionum communibus

Communes inscriptionum regulae spectant primum, si latine scribimus, nomenclaturam. Cum quis binis nominibus appellatur, primum ex his praenominis loco esse potest, alterum nominis: post nomen patrem ciere possumus, atque praestat interdum et avi et proavi mentionem facere: cognomina autem nostra patris et avi appellationibus recte subiiciuntur. Sed nomina virorum feminarumque, quae nunc saepe barbara et Latinis ac patribus nostris ignota imponuntur, sic efferenda sunt, ut a latina consuetudine quam minime recedant: non tamen turbanda, praesertim in prioribus syllabis; nec latinitatis studio obscuritate infuscanda. Inscriptionis Nomenclatura.

Ut rerum delectus et dignitas, quod est in inscriptione praecipuum, eluceat, cogitet scriptor non omnia scribenda esse, sed praeclara, et quae posterorum interest scire. Non solum minimae quaeque res sunt praetereundae, sed ipsi honoris ti- Rerum delectus et dignitas.

tuli, in funeribus et epitaphiis praesertim, parce sunt commemorandi, nec nisi cum Christi Cruci fuerint submissi. In ipsa operis causa seu ratione explicanda parcus sit scriptor: honorariis tamen inscriptionibus aliquid est concedendum. Praecipue vero in qualibet inscriptione veritate est nitendum : quid enim turpius quam si apud aequales nostros mendacio assentiri et posteros fallere videamur ? Dignitas inscriptioni sit etiam ex certa honestatis modestiaeque significatione: nihil excidat quod quemque offendere possit, ac religio imprimis morumque disciplina sancta ubique et inviolata sit.

Mensura inscriptionis. Qnod ad mensuram attinet non longa nec brevis omnino, sed iusta sit inscriptio : ea autem iusta censenda, quam perlegens et rem plane intelligat, et iucunde hauriat verba. At nec ea, quae salva sententia tolli possunt, omnia semper extra modum habenda sunt : sunt enim ornamenta, sunt formulae sollemnes, sunt et dictiones paullo copiosiores, quibus vel sententiae vis clarescit, vel inscriptio nobilitatur. Exiguis tamen in monumentis grandiori dicendi genere non utemur, nec in magnis humiliori : nihil enim legenti citius in oculos incurrit, quam quod rebus non congruit. Quare habenda est ratio rerum, personarum tum ponentium titulos tum earum quibus ponuntur, causae insuper, et ipsius loci, in quo figenda est inscriptio.

Inscriptionis Perspicuitas. Quanti in iscriptionibus facienda est perspicuitas, nemo non videt: quaelibet enim inscriptio index est. Quare imprimis vetusta nimis et ignota vitabimus, incerta et ambigua illustrabimus, statuemusque id perspicuum non esse, quod plerique sine interprete non intelligunt : inscriptio enim in lectoris animum facile dulciter et iucunde descendere debet atque alte figere sententiam affectumve, quem exprimere velit. Appellationes munerum, curationum, honorum, nummorum, pagorum sic deducantur ut sine difficultate intelligantur res : litterarum autem singulariarum, quae et in italicis inscriptionibus locum aliquem habere possunt a), nec multus nec ineptus sit usus :

Litterae singulariae.

a) A render più spedita la inscrizione i Romani usavan le sigle : a chi ne scrive in volgare io non direi di escluderle affatto, ma di andare assai riguardoso... Tuttavia se fu pia costumanza de'primitivi cristiani di porre sulle loro tombe le venerate sigle di Cristo, perchè non le porremo anche noi? Perchè non comincerà la cristiana epigrafe da quel nome adorato, che in cielo ed in terra, e perfin nello inferno non si profferisce mai, senza che ogni ginocchio si pieghi ?

nam sollemnes tantum formulae et omnibus notae singulariis litteris scribi possunt,nec semper. Maxima perspicuitas enascitur ex argumenti sententiarumque unitate: sed et multum studium in verborum structura et collocatione adhibendum, ne perspicuitati officiant.

Communis inscriptionum sermo inter oratorium et poëticum medius videtur. Sed antequam inscriptionem aggrediaris, statuendum erit,quae dictio conveniat maxime, quaeque etiam aliis satisfacere possit: eliges autem quae loco operi et personis apta sit. Verborum dispositio, ex qua ipsa dictio conflatur, a veterum exemplis petatur: quorum assidua lectione aures ipsae delectari assuescant; ut assequamur elegantiam illam, quae non tam in singulorum verborum delectu, quam in apta et numerosa collocatione est. Inscriptionis latinae pulchritudo interdum sine particulis, saepe cum particulis connexivis, parce tamen adhibitis, consistit. Sed in Italicis inscriptionibus non solum particulae connexivae, verum articuli minus frequentes esse debent: enervant enim inscriptionem. Sermo et stilus.

Pracipue etiam in dictione curandum est, ut cum veterum exemplis utemur, ordinem ipsum, normamque teneamus; quae vero perversam religionem sapiunt, prorsus repudiemus. Desipiunt enim, ut aliqua indicem, qui Pontificis Maximi Consilium *Collegium Augurum* dicunt, sacerdotem, uni addictum templo, *Flaminem* appellant, Baptisma *Aquas Lustrales*, Virgines quae se Deo devoverunt, *Vestales* aut *Christianas Vestales*. Turpiora sunt: *Diis Manibus Litandum: Ara Amicitiae Dicata Consecrataque Est: Deos Superos Manesque Morituro Placare.* Perperam etiam Iesus Dei Filius *Heros*, Angeli *Genii*, Templa Dei *Fana*, Fides *Persuasio*, Excommunicatio *Aqua et Igni Interdictio* vocantur. Nec id mirum, cum homines saepe non solum non studeant nostram religionem referre, Cavenda ethnicorum superstitio.

Che se Iddio disse già: Io sono l'alfa e l'omega, il principio e la fine, e noi consacriamo queste preziose sigle nelle nostre inscrizioni, le quali ricordando l'estinto, ricorderanno a un tempo quel Dio, per cui sola virtù posson gli estinti rivivere... Brilli fra le sigle di Cristo, fra l'alfa e l'omega, quella Croce che salvò la terra e conquise l'inferno; brilli quella croce, *senza la cui presenza*, come canta il religioso Pindemonte, *Troppo è a mirarsi orribile una tomba.* *Paravia*, Lez. II.

sed in eadem profitenda omnino sint negligentes a): ita ut ne in sepulcrorum quidem titulis, praesertim italicis, certa religionis et virtutis ubique appareant vestigia. Ex quo fit, ut, quoniam ne in morte quidem hominum dignitas cognoscitur, nec dignae homine sententiae et affectus promuntur, pleraeque recentiorum inscriptiones ineptae et frigidae sint.

Quae figurae adhibendae? Verborum sententiarumque figurae inscriptionibus conveniunt; sed multo iudicio adhibentur. Pleraeque enim figurae omnino sunt reiicieudae, aliae parce usurpandae, quaedam tantum ultro et licentius intermiscendae. Ac primum ineptae habentur, quae poëticae plane sunt, aut concitato oratoris impetu feruntur; deinde fugiendae, quae in verborum notatione aut lusu versantur. Itaque adhibentur praesertim prosopopoeia, exclamatio, apostrophe, sermocinatio, precatio: verum communis stilus pauciores etiam admittit figuras, easque fere in verbis positas.

Numerus. Venustatis autem ac dignitatis plurimum accedet inscriptionibus ex numero, qui a collocatione verborum proficiscitur: illa enim inscriptionem facit iunctam atque, ut ita dicam, laevem et aequabiliter fluentem; quibus fere in rebus modus consistit. Sed ut non unum est inscriptionum genus, ita nec idem cuique numerus convenire potest: sacrae inscriptiones, ob ipsam argumenti dignitatem, numerosiorem habent orationem: honorariae numeros postulant multo etiam insigniores: contra, in epitaphiis rarius veteres longo anfractu verborum usi, modos usurparunt leniores: aequali etiam oratione deducuntur pleraeque ex historicis, si excipias operum publicorum inscriptiones, praesertim imperatorias: ellogia tandem et constitutiones publicae suos, sed parcius, numeros habent.

Litterarum forma. Superest ut pauca de litterarum forma, et inscriptionum loco dicamus. Lapidariae litterae non modo antiqua omnes forma et

a) Che scandalo al vedere in una chiesa, dove tutto spira pietà, in un cemeterio dove trionfa la Croce, il vedere monumenti e il leggere epigrafi, che non meno ad un cristiano si avvengono che ad un gentile!... Il pensiero adunque d'una futura risurrezione; la speranza di riabbracciare in cielo chi si piange perduto; la certezza di rivivere per mai più morire; ecco ciò che debbe emergere da un'inscrizione cristiana.... La preghiera di eterna pace è la sola che vi deve dominare; perciò s'invitano i fedeli, per ciò si abbruna la chiesa; fuman gl'incensi, ardono i cerei e suonano i salmi per questo. *Paravia*, Lez. II.

primaria, sed, si titulus sublime locandus sit, omnino grandes sculpi debent. Pro varia igitur litterarum forma veterum exempla sunt inspicienda, eaque elegantiora et diversa. Singula autem auctor ipse eligat, et qua lege numeri, interpunctio, versuum divisio scribi debeant a lapicidis, ante constituat. Quod faciendum in ipsis italicis titulis, qui nescio a quibus, *gothice*, hoc est barbare, interdum scripti sunt.

Locus titulis sacris.

Tituli universim nec ita sublimes figendi sunt, ut legi non possint, nec ita abditis sedibus, ut quaerendi sint, nec solitarii aut procul a monumentis, de quibus loquuntur. Suo quisque loco ponendus. Veteres in fronte ipsa aedium sacrarum dedicationes scribebant: quasdam etiam in zophoro, quasdam vel in epistylio tantum, vel partim in zophoro partim in epistylio. In ipsis igitur aediculis, quas ad templorum alas excitamus, dedicationis titulus sublimis sit ac fere in summo altaris fastigio legatur: si vero infra absidem atque inter columnas signum stet praecipuum magna in basi locatum, in hac inscriptio recte incidetur. Votivis titulis locus est in aereis argenteisve candelabris, in clypeis, in argenteis loricis, quibus per festos dies altaria protegimus, in ceteris donariis. Monumenta sacrorum in templo aut in aedibus, quae templo adhaerent, legenda sunt, eaque in ipso introitu aut in ipsis columnis templi.

Epitaphiis.

Epitaphia in columbariorum ollis, in sarcophagis, in cippis sed stantibus erectisque, nusquam humi porrectis, incisa sunt: si qua vero mausoleis inscribenda erant, marmorea in tabula, grandibus insculpta litteris, media in fronte locabantur. Nunc pleraeque inscriptiones ultro citroque commeantium pedibus in templis teruntur! quae vero epitaphia marmore parietibus incluso prostant, saepe sine sepulcro posita videntur: nullus enim cinerum loculus, nulla urna apparet! Quid igitur filii parentibus, quid viri uxoribus fecerunt? Itaque, cum nuper sepulcra parietibus inhaerere ceperint, una in fronte epitaphia incidimus: sed ad cipporum latera recte addes quidquid epitaphiis adnecti solet: ibidem non modo vitae anni et nota temporis, sed salutationes etiam et sententiae morum et iura sepulcrorum incidi possunt. At si monumenti lapis opere anaglypho simulacrum defuncti refert, ita incidi epitaphium poterit, ut medio imago sit, litterae partim initio, partim ad latera, cetera infra legantur.

Ceteris in-

Honorariae inscriptiones saepe loco suo carere coguntur: sed

scriptionibus. nulla huius generis inscriptio esse debet, quae non in arcu, aut in basi vel statuae vel columnae, aut certe sub signo aliquo vel pictura incisa fuerit: hoc enim vindicat ipsa inscriptionis natura. Inscriptionum historicarum varia plane sedes: veteres circa forum publicarunt; ac publico certe loco legi debent et pluribus in tabulis incidendi sunt tituli, ut de plano legi possint. Operum publicorum inscriptiones in ipsis fere eorum fastigiis eminent. Ellogia in foro atque in atriis domorum sub ipsis statuis legebantur: imo in bibliothecis, ubi praecipuorum auctorum imagines dedicabantur: nunc etiam pictis tabulis recte subscribentur. Suum denique locum constitutionibus publicis adsignabimus, quem sane insignem nobilemque sibi vindicant: Capitolium plerisque sedem olim fuisse accepimus: sed edicta in pilis et porticibus figebantur.

A. M. D. G.

RERUM INDEX

PROOEMIUM

De ratione operis universa

CAPUT III.

CAPUT. IV.

PARTITIO ALTERA

Caput I.

Caput II.

CAPUT III.

PARTITIO TERTIA

CAPUT I.

CAPUT III.

CAPUT IV.


CAPUT V.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

FINIS



PRESIDENZA

del

CONSIGLIO GENERALE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli li 22 aprile 1858

Vista la domanda del tipografo Pasquale Sarpa, con che chiede di porre a stampa l' opera del *P. Innocenzo Polcari della Compagnia di Gesù, intitolata - Universae Eloquentiae Institutiones*.

Visto il parere del Regio Revisore sig. Canonico D. Giulio Capone.

Si permetta che l'opera indicata si stampi, ma non si pubblichi senza un secondo permesso che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di avere riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore di Stato
Presidente provvisorio
CAPOMAZZA

Il Segretario Generale
GIUSEPPE PIETROCOLA

—

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

per la

REVISIONE DE' LIBRI

—

Nihil obstat
DOM. SCOTTI-PAGLIARA
Cens. Theol.

Imprimatur
Pro Dep.
LEOP. RUGGIERO





